


ALE
VITT. EMANUELE
G
ROMA




DE CONFVSIONE CALVINIANÆ SECTÆ APVD SCOTOS Ecclesiæ nomen ridiculè vſurpantis,

DIALOGVS.

Per Archibaldum Hamiltonium Scotum nunc primum in lucem æditus.



PARISIIS,
Apud Thomam Brumenium in clauſo Brunello, ſub ſigno Oliuæ.
1577.
CVM PRIVILEGIO.





AD SERENISSIMAM REGINAM SCOTIÆ Epiſtola dedicatoria.



ITA *qua in corpore hoc animali viuimus (princeps ſereniſsima) quámque naturæ beneficio acceptã boni iuxta & mali, cum beluis communem ducimus, ab altera illa cæleſti & à dei ſpiritu regenitis tantum participata, licet plurimis nominibus diſsideat, cùm eadem tamen legitime comparata ſupra modum conformis exiſtit. Adeò vt quæ vnius vel ſeruandæ, vel propagandæ, vel reparandæ ratio fuerit, eadem alterius aut ſane quã maxime ſimilis eſſe videatur. Ea nimirum conditoris noſtri in nobis ſic creandis fuit bonitas, quæ ſe ad noſtram infirmitatem demittens, per ea quæ ſenſibus in corpore percipiuntur, ad illa quæ in animis magis latent conſimili modo curanda, nos veluti manu duceret.*

Id ita esse maiestas tua facile intelliget, si ad reliquam tuendæ sanitatis rationem hominibus à Deo inditam, anatomicam corporum sectionem, & quem ob finem introducta ea fuerit diligentius considerauerit. Nam cùm morbos manifestos alios dieta frangere, alios exercitatione pellere, alios demum potenti herbarum virtute & potionibus profligare liceret: his vulgaribus rationibus minime cōtenti peculiares quidam naturæ genij, à dei spiritu haud dubie excitati, nouam illa secandorum corporum rationem adinuenerunt: vt nouis necdum perspectis malis noua pararētur remedia. Per eā namque effectū est, vt naturæ arcana in vnius dissecto corpore penitius introspecta, ad iudiciū de aliis multis certa quasi lege ferendum, viam reserarent. Multis quippe experimentis didicerunt homines solertes illi quidem, id in animos vehementissime influere solere, quod viua quadā specie expressum, oculis fidelibus caperetur. Quo factum est, vt salutis multorum causa insigne illud corporis humani artificium vere venerandum, hominis ipsius vel curiosa audacia, vel audax curiositas primū temeraret: eásque maxime partes euolueret, quas ab vllo alioqui aspici ob summam rei ignominiam nefas esse maximum plerique omnes ducerent. Nec tamen innatus pudor pro-

hibere potuit anxium ſalutis quærẽdæ ſtudium: quod tanto magis in dies accendebatur, quanto ad eam via difficilior præſcribi videbatur. Nam cum eam conſtet non eſſe aliam, quàm quæ per eiuſdem illius corporis, cuius conſeruatio quærebatur, contemptum duceret: tantus tamen eius ſeruandi amor hominibus ineſſe deprædendebatur: vt mala quæ nollent, quæq́; ſumma vi refugerent, non tantum ab aliis illata perferrent, ſed ſibi ipſis etiam vltro ac libenter inferrent. Cuius ſtudij & ardoris cauſam, ſic à communis ſalutis ſtudio profectam apud me reputans, nullum tempori accommodatius argumentum, aut tuæ etiam maieſtati acceptius deligere me poſſe arbitratus ſum: quàm quod in conſimili genere poſitum, & ad ſanitatem animorum propriè relatum, mihi vni hoc tempore præ cæteris, diuina quadam permiſſione, ſimul & miſericordia obtigit. Nam ſi ſpiritualis vita in tuis ſubditis infœlici hac tempeſtate mirum quàm læſa imo perdita, alteram illam corporalem merito antecedat: ſiq́; quæ vnius, eadem aut certè quã maximè ſimilis alterius vel tuendæ, vel recuperandæ ratio ſit: anatomicæ ſectionis loco, ingenuam tum erroris olim mei confeſſionem, tum patriæ etiámnum durantis cõſuetudinis, & præſentis confuſionis faciem, non incommodè ſub-

iectiurus mihi videor. Communia enim hic & illic penè omnia, aut hc potius quàm illic maiora omnia ob id occurrunt: quòd quanto maior mali contumacia eſt, tanto acrior conflictus, & eorum qui curantur maior confuſio cernatur. Nam vt animorum quam corporum labes abſtruſiores ſunt, & magis recondita vulnera: ita dum prolata in lucem ſpectantium veluti oculis ſubiiciuntur, propria quadam & natiua peruerſitatis ſpecie, ſimul & quãuis corporis fœditatem plurimũ ſuperant, ſimul acutiſsimos dolorum ſtimulos patientibus inferunt. Quod in detegendis quibuſuis internis ſordibus cum accidere ſit neceſſe: tum in animis circa religionem, vbi hæreſis ſemel obtinuit, quanto ea cum aduerſæ partis certamine euincatur, & euicta quantò eorundem qui decepti prius erant, cum rubore proferatur: Quanto denique omnium tum ſanantium tum ſanatorum bono eadem eiecta profligetur, dicendo nemo conſequi poteſt. Quæ enim vniuſcuiuſque in cauſa religionis pertinacia eſt: certè in ea vel ſola, vel prima ad errorẽ agnoſcendum, & agnitum deponendum homines non prius adducuntur, quàm non dico à chirurgo diſſecti ſed in ſeipſis confuſi, & violenta domini manu in terrã proiecti cum Saulo humiliter ſapere didicerint: vt non iam corporis

ſed cordis, nõ carnis ſed animorũ interna ſectione, ad tam inueterati mali curationem opus eſſe videatur. Quæ cùm ita ſint, modis ſane omnibus enitendum fuerit (princeps illuſtriſs.) vt quæ populum tuum aſtu ſathanæ callide ſeductum ad præſentis miſeriæ agnitionem, & erroris depoſitionem perducere poſſunt, ea eidem omnia ob oculos ponantur: ſiue illa paucorũ, ſiue multorũ, ſiue priuata, ſiue publica exempla fuerint. In quo genere cum præſens hoc argumẽtum ſit, tum idem ad præſentium malorum ſenſum aliquem inferendum, ſalubriter conuerti poſſe optimo iure videtur. Ea enim ſaluberrima medicina eſt, quæ dolorem & eum quidem acutiſſimum infert. Et magna interim in dei bonitate fiducia eſt (ſi ſiniſtro tum noſtri ipſorũ tum patriæ ſtudio poſito, quod in nobis ſitum eſt bona fide fecerimus) eius gratiam tam euidenti argumento minime defuturam: cuius potentia ſola citra omnem exemplorum, vel præcedentium vel concurrentium vſum, fractam atque edomitam cordis contumaciam in multis ſæpiſſime experimur. Vnum modo reſtat pro ea poteſtatis atque imaginis parte, quam tuæ ſerenitati communicare diuina clementia dignata eſt, ad Dei ipſius imitationem, inſigni quodam pietatis exemplo ad poſteros tranſmiſſo, à maieſtate tua per im-

plendum. Id verò est vti populum tuum (heu nimium sua ipsius stultitia castigatum) misericordia præueniens, quantam eius seruandi curam agas, scripto hoc veluti perpetuæ solicitudinis tuæ nuncio, ad eum per occasionem amandato, testatum reddas. Sic enim ad veniam facilis, cùm tuum tibi populum, tum te Deo, vna eadémque opera potentißime conciliabis. Et interim tam breue scriptum, tam illustri authoritate cōmendatum, mirū quàm tuis omnibus acceptū reddes. Neque enim dubitare tui possunt, quin quod in eo petitur id rationem non dico primam, sed plane vnicam contineat, qua in gratiam denuò apud tuam maiestatem redire poßint. Vt enim Ecclesia fidelium omnium mater nullis reuertentibus gremium claudere solet: ita matris imitata ingenium germana filia, nullos non in fidem suam lubentißime recipiet, super quos Ecclesiæ nomen inuocatum fuerit. Sciunt hoc probe tui omnes quantumuis cum insanientibus doctoribus ab Ecclesiæ gremio, furore magis quam iudicio nunc temporū abrepti. Sciunt (inquam) eos qui in Ecclesia vera viuunt, cum omnibus quidem pacē & concordiam, erga eos vero quos in potestate habent, clementiam plusquam paternam seruare solere. Sciunt etiam quas experientia sua singuli sæpe didicerunt generosi tui pe-

ctoris veras & natiuas dotes, per quas in facili & propenso ad misericordiam animo sitas, non tam præclarum, & regio spiritu dignum esse semper es arbitrata subditorum iniuriis commoueri: quàm easdem magno quodam & excelso animo despicere. Exurgat igitur vere generosa indoles, & inducta omnium offensionum obliuione, simul Ecclesiæ germanam filiam, simul & benignam subditorum matrem se esse monstret: quæ de omnium salute solicita, id maxime curet, vt deo primùm tum sibi quàm dignissime subditi tui omnes viuere possint. Ad quod apud eos consequendum, cum dialogus iste proprie referatur, simul non incommode eum seruiturum, imo maxime collaturum spes magna est. Quamuis enim breuis esse verborum contextu & numero videtur, mira tamen euidentia & claritate, cùm Ecclesiæ vere faciem, tum eius in quam seducti tui sunt confusionis deformitatem depictam continet. Accedit ea argumentorum vis, & testimoniorum (religionem quidem, illorum & sectam fictam falsámque damnantium) claritas, cui aduersarios quantumuis pertinaces cedere sit necesse. Maxime vero non tuis modò, sed communi morbo laborantibus vicinis salutaris fore creditur: si ad argumenti veritatem, demonstrationis euidentiam, temporis demū oc-

casionem præsentißimam, serenißimi tui vultus errantes omnes ab errore ad veritatem benignissime inuitãtis, authoritas insuper accesserit. Quapropter laborem hunc aut conatum verius (qui qualiscunque est certè maiestatis tuæ totus est) sanctißimæ tuæ voluntati subseruire paßa, eiusdem fructum iure tuo tibi vendicatum, bonis lætísque auspiciis ad tuos transmitte. Quòd si eũ & tuæ maiestati acceptum, & tuis vtilem esse aliquo fœlicioris successus argumento deprehensum fuerit: dabitur equidem opera, vt si non vtilitatis saltem maturitatis maioris complures fructus sub tuæ maiestatis nomine propediem in lucem exeant. Deus interim maiestatem tuam misericorditer semper conseruatam regat, & protegat: & me seruum suum longe indignißimum præteriti erroris conscientia conuictũ ad mei quidem ipsius iustißimam correptionẽ, & aliorum omniũ salubrem admonitionẽ, istos psalmographi versiculos non minore cum fructu, quàm vero cordis affectu errantibus occinere faciat.

טרם אענה אני שגג ועתה אמרתך שמרתי
טוב-לי- כי- עניתי למען אלמה חקיך

Πρὸ

Πρὸ τοῦ με ταπεινωθῆναι ἐγὼ ἐπλημμέλησα,
διὰ τοῦτο τὸ λογιόν σου ἐφύλαξα,
Ἀγαθόν μοι ὅτι ἐταπείνωσάς με, ὅπως ἂν μάθω
τὰ δικαιώματά σου.

Priuſquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodiui.

Bonum mihi quia humiliaſti me : vt diſcam iuſtificationes tuas. Amen.

Maieſtatis tuæ humilis & deuotus ſubditus,
ARCHIBALDVS HAMILTONIVS.

Nos ſubſcripti Theologi teſtamur hunc, librum nihil continere Catholicæ fidei contrarium, quin cenſemus poſſe typis mandari ſummo Eccleſiæ fructu & vtilitate. Scriptum die 3. Maij 1577.

G. GENEBRARD.

N. DERRONDEAV.



DE CONFVSIONE CALVINIANÆ SECTÆ apud Scotos Eccleſiæ nomen ridiculè vſurpantis,

DIALOGVS.

Per Archibaldum hamiltonium Scotum nunc primum in lucem æditus.

INTERLOCVTORES.

EPISCOPVS, ORTHODOXVS, MISOPLANVS *ad Catholicæ Eccleſiæ gremiũ reuerſus.*

MISOPLANVS ORDITVR.

QVOD votis à Deo ſæpe expetiui vti præcellentis tuæ dignitatis aſpectu ſimul & ſermone aliquãdo fruerer, id mihi hodierno die datũ eſſe vehementer gaudeo. Inde enim ſacroſanctę tuę functionis triplici percepto beneficio,quo purgare illuminare & cõſummare demùm quamplurimos ſoles:cùm me in religionis cauſa cõfirmatum tum alium quemuis iiſdem in quibus ipſe aliquando hęrebam erroribus deten-

tum ad mentis ſanitatem reuocatum iri confido. Hanc nanque paſtoralis tuæ curæ partem temporum iniquitate prius quamuis excluſam aduerſariorum improbitas ad ſummam impietatis menſuram tandem perducta, latere longius non ſinit: Quin potius piam iſtam pro Eccleſiæ reparatione ſolicitudinem efflagitat quæ tẽporũ opportunitate captata rei feliciter gerendæ occaſionem nullam prætermittat. Ego vero (aut longiſſime fallor) aut rerum domeſticarum ſtatus omnium præſentiſſimã occaſionem offert, vel potius materiam longe vberrimam ſuppeditat. Quo fit vt dies nõ poſſit mihi non lętiſſimus eſſe ſiue ingenium & priſtinam in docendo alacritatem ſequutus priuatim me in his quę ad veram pietatẽ ſpectãt inſtituere, ſiue etiã accepta ab aduerſariis occaſione paulo ampliorem Eccleſiæ veræ defenſionem ſuſcipere velis EPISC. Si tibi à præſenti congreſſu gaudium aliquod exiſtit, geminum illud ſanè ab eodem mihi eſſe vel ob id perſuadere tibi potes, quod te perditum prius deploratúmque (multorum opinione) relicto tandẽ errore, tum tuæ ipſius tum aliorum multorum ſalutis ſtudioſum intelligam, Sed dic quæſo ſi quid rerum nouarum domo tecum adfers, propter quod Eccleſiæ reparatio aut in melius reſtitutio ſperari poſſit. MIS. Ecquid quæ Edinburgi in hoc poſtremo miniſtrorum conſeſſu geſta ſunt audiuiſti. EPIS. Nequaquam: Sed narra obſecro. MIS. Nimirum quò ij omnes qui religioni ſuæ minime renũciantes præſen-

Occaſio Dialogi.

tem hęresim quæ populo domi obtruditur amplecti nolint anathematis fulmine feriantur, in acta retulerunt, ea lege vt qui ante diem præscriptum fidei suæ publicum testimonium non dederint ij beneficiis si Ecclesiastici fuerint priuentur: sin ex populo aut ex proceribus, eorum bona & possessiones in fiscum redigãtur. Epis. Facile credo eo tandem adductum rem iri, vt qui nolint vllo præsenti sectæ adhęrere eos vi aliqua compellant. Verum ad vltimam illam violentiam tam subito prosiluisse miseros & dementatos homines persuadere mihi non possum, Præsertim eos qui nuper potestatem suæ fidei palam profitendæ, beneficiũ maximum votisq; omnibus à principe impetrandum duxerunt. Mis. Atqui non tantum in ministrorum consessu, caput hoc de catholicis excommunicandis rogatum & conclusum, sed idem principis authoritate cõfirmatum ínque acta parliamenti quæ vocãtur relatum esse certò apud te constitue. Epis. Verum ergo vt videtur illud est, non de asini vmbra certari quoties penes quos legitima Ecclesiæ & clauiũ potestas sit controuertitur. In vno enim hoc capite quæcunque homini bona & vere expetenda sunt, simul & semel in quæstionem trahuntur: adeo vt quùm in aliis omnibus leniores homines modestioresque esse soleant, hic primum veros prodere affectus, omnémque animorũ impetum effundere sit necesse. Quo magis miror quid in mentẽ quibusdam doctis pariter & piis veniat, quod præterita quæstione

hac prima pręcipuáque & à qua reliquę omnes depēdēt inferiores alias & huic vere subiectas, tam fuse prosequantur. Profectò (vt quod sentio dicam) perinde mihi facere videntur, atque si de imperio aut iure regni contendentes nihil de titulo dicerēt: sed eo prætermisso priuatas legum contractuúmque formulas definirēt: quasi qui in particularibus istis definitionibus superiores euaserint magnum aliquod ad summam rerum cōtulissent ac non potius è contrario dum circa res minime necessarias occupantur primum illud & maximū regnādi ius à quo istæ quæstiones definiendæ postea erant è manibus elabi permittunt. Sic qui hanc quæ de potestate clauium est quæstionem omittūt aut ab ea abduci se patiuntur quantumuis strenuè alias omnes controuersas quæstiones aduersariis extorqueant in hac tamen vna si non iure saltem facto (quod aiunt) inferiores deprehēsi, non tantum ab Ecclesiæ omni administratione excluduntur: sed ne ipsi cultum quidem deo debitū deferre libere permittuntur. Neq; profecto in eo quod magnopere quis miretur quicquam inest. Nemo enim est miles quantumuis facinorosus aut fugitiuus domo seru⁹ qui quò pœnas meritas effugiat, vel ducē vel dominum (modo vi aliqua aut fraude possit) loco lubentissime non detrudat séque deiecti vice haberi impudentissime nolit. Sed enim vt nullus tam ignauus dux aut tam fracta potēstate dominus cernitur qui non ereptam per vim authoritatem reuindicare aut læsam etiam reparare

De potestate clauium primo loco disputandū tum in alia controuersa capita īquirendum.

Similitudo apta.

satagat: ita pios omnes veréque Catholicos facere conuenit vt vindicato ab aduersariorum calumniis Ecclesiæ iure inanes istos hęreticorũ crepitus Ecclesiæ nomen falso obtendentium fortiter & ipsi contemnant & ab aliis contemnendos esse euidenter commonstrent. MIS. Imo vero id reuerendissimæ tuæ sanctitati hodierno die perimplendum esse munus, tãquam dignitatis pastoralis proprium existimare debes: Vt quod ab aliis fieri sancta tuæ reuerentiæ authoritas salubriter vult, idem diligens tua vigilãtia ante alios perfectum reddat. Sic enim pietatis officium quod eminens tua super alios excellentia minime subterfugerit ab aliis inferioris ordinis hominibus iure meliore exigere posse videbitur. EPIS. Quod æquũ est cũque meo officio maximè cõiunctum postulas fili: sicq; petitionẽ alioqui iustissimã pulchris titutulis ornatam profers: vt eandem reiicere hominis sit non tantum iniunctas sibi ab officio leges contemnentis, sed iura omnia humanitatis, rustica quadam illiberalitate perfringentis. Verumtamen si me audis omissis aut certè in aliud tempus magis accommodum dimissis præclaris istis tamque fulgentibus honorum titulis, puro & simplici sermone vtendum tibi esse erga me in posterum puta. Quãuis enim illud Pauli certissimum habeam eos qui verbo inuigilant duplici honore dignos esse: tamen quæ temporum ratio nunc est prudenter hanc materiam dispensandam magisque humili obedientiæ affectu quàm inani & cur.

Magnificus honorũ titulis par eius hoc tẽpore vtendum, & cur.

verborum pompa metiendam arbitror. Non tātum quia qui hanc præpostere sectatur & amat, suam ipsius charitatem vulnerat & vanitatem inflat: sed quod aduersariis insuper ad detrahēdū quauis data occasione semper paratis, calumniandi materiā nimis magnam peruerso suo studio suppeditet. Tu itaq; fili mi consilio meo prudenter obsequutus mēque nōn vt dominū insigni aliqua potestate prȩfulgētem, sed vt fratrem in Iesu Christo deinceps allocutus, à fucatis istis nimium ornamentis verborum in posterum abstine. MIS. Quamuis non me latet quàm extra officiū meum facturus sum, quoties nomē tuum aliter quàm locus & ordo tuus postullat compellem: tamen quando ita abs me fieri vis, parebo. Docendi ergo methodum quam tempori maximè accommodam ducis apud te præmeditatus nihil istos populares ministros, qui apud Scotos gentiles nostros prætextu purioris euangelij omnem ecclesiæ faciem peruerterunt, cum Ecclesia commune habere, & proinde sententiam cui ipsi merito suo subiacent, in alios ferre non potuisse, rationibus quibus potes firmissimis euince. EPIS. Ad hoc quod quæris ex sententia faciendum non alia ratio vel prior vel potior mihi succurrit, quàm quæ ab vnius partis cū altera comparatione ī umitur. Tanta enim vis veritatis est vt ad alteram quanuis fucatam speciē composita, non modo eam infinitis gradibus superet, sed detectis tegumētis fraudes omnes apparere atque in clara veluti luce conspici

Propositio statum principalē continens.

faciat. Quando igitur de duabus proteſtantiū inquam congregatione & catholica Eccleſia queſtio futura videtur penes vtram videlicet clauiū ius & poteſtas ſit: nihil prius aut potius nobis faciendum eſſe arbitror, quàm vt Prodicum apud Xenophontem imitati, vtranque veris deſcriptam coloribus & proprio veſtitu amictam introducamus, nihil vel vni vel alteri affingentes, quod non ſummi vtriuſque partis patroni lubēter agnoſcunt. Sic enim futurum arbitror vt & Eccleſia vera ad alteram comparata ſuam ipſa cauſam abunde defendat, ſimul Scoticana aut aduerſa quęuis alia congregatio ab ea deſciſcēs ſuis ipſa verbis clare cōuincatur.

Simplex partium comparatio ſufficiens.

MIS. Nemo ſane meliorem viam ingredi poteſt, tantum quo cępiſti perge gradu, me quòcunque iueris comitem habiturus. EPIS. Aſpicíſne igitur eam quæ ad læuam nobis à Septentrione occurrit, comptam quidem illam & prima fronte nō inuenuſta ſpecie præditam, mirum ſi non hęc proteſtantiū Eccleſia fuerit. Nā greſſu celeriore paulo quam illa altera incedit, & aſtricta lumbos corpore ad expediendum iter magis leui & compoſito eſſe videtur. Sed propius ſane accedamus, vt quæ vtraque inſignia portet, quoque veſtitu ornata fuerit videamus. Et hæc quidem prior virgineo colore & apparatu ſimul, mirum in modū ſplendeſcens, dextra gladium, ſiniſtra librum, capite coronam mira cùm colorum tum partium varietate diſtinctā geſtat. Illa viciſſim altera, dextra librum, ſiniſtra oliuæ ramum, capitis vero

Perſonarū metaſchematiſmus vt facilis & planus ſic audax ſatis.

coronam velamine & eo quidem nigro opertam habet. Vultu interim tristi & oculis lachrymantibus, vestibúsque situ & squalore obductis magnam animo conceptam mœstitiã præ se fert. Vtraq; veluti aliquid loquutura quando in nos oculorũ aciem intendit nihil credo prohibet vtriusque verba ex quibus de dictis persona iudicium certius haberi possit, audire. MIS. Nihil sane si tamen ad sermonẽ eas à nobis aliqua ratione pertrahi posse speras. EPIS. De eo non dubites: nam vt taceam interrogatas eas vasorum æneorum instar quæ percussa sonum protinus reddunt, sermonẽ referre: eam insuper vtriusque conditionem esse constat, vt præsentes alloquantur semper vltroque ac veluti inuitis sermonem inferant. Sed vt fiat periculum priorem hanc quã commotã esse apparet sciscitemur. Heus tu mulier dic sodes vnde venias & quæ sis aut quo profectura gressum tuum sic acceleras? *Protestantium congregatio.*

Cur nomen meum quod fronti inscriptũ patet à me quæris? Aut cur etiam de regione vnde veni aut quo profectura sum dubitas quando hanc à tergo me persequentem meretricem babilonicam aspicis. Sum etenim congregatio illa pura & virgo incorrupta quam vltimis his senescentis sæculi diebus euangelij sui luce & claritate dignatus Deus ex confusione idololatrica ter misera & seruitute plusquam Aegyptiaca eripuit: & ereptam Christo regi & saluatori veluti spõsam puram & immaculatam copulauit. Cui copulata ab eius vnius ore pẽdere,

Oencomia quibus ministri congregationes singuli suas concelebrant.

eius solius vocem audire traditionibus omnibus humanis fortiter cõtẽptis didisci. Qui autem vel multitudine, vel temporis duratione & consuetudine longa, freti verbi synceritate vel tantillum me abducere conantur: ab his non consensu modo & animo, sed quantum in me quidem est corpore ipso & tota vitæ societate memet disiungo nephas esse rata, cum his talibus humanarum traditionũ authoribus communes cœtus frequentare. Hinc irritata meretrix ista babilonica me persequi a die in diem & vitam meam petere omni loco non cessat: aliud nihil causæ habens quam quod veritatis zelo illius idololatriam cæcam abominata, me ab illa separauerim. Vicissim ego toto animo gratias Deo agens, qui me à tã indigna seruitute liberauerit, omnibus quibus æterna salus curę est, edico vt ab illius cõmunione impia seipsos subducãt. Alioquin illos omnes qui cũ illa permãserint dãnatos: & qui illa relicta mihi adhęserĩt in tremẽdo illo iudicio saluos fore pronuntio. Non difficili interim aut lõga multísq; & asperis difficultatibus impedita via homines deterreo, non varietate vlla præceptorum conscientias onero, ieiunia longa quibus se macerent non iniũgo, statas preces & alia innumera quæ ab indoctis & cæcis hominib' pietatis exercitia falso creduntur, rę vera autem aliud nihil quam damnãda ἐθελοθρησκίας monumenta sunt, nõ exigo: tantum vna simplici & vniuersa sub uno capite comprehensa doctrina peccatores moneo, vt in Christũ seruatorem credãt.

Sic fore pronúciás vt in Christú Iesum (qui pro peccatoribus propitiatio factus est) non vacillante fide recumbétes, salutem per eius merita oés certo consequantur. Hanc salutis viam nõ per hominem aut ab homine sed ab vnigenito Dei filio paratam, & per apostolos mundo declaratá, postea vero Satanæ astu & Babilonicæ istius meretricis sæua tyrannide diu sepultam, nunc primum rediuiuam in terras reporto: vt ea postliminio reuersa, & mūdo patefacta quáplurimos diabolo ereptos Christo lucrifaciat. Ne autẽ verbis te longius detineam, ecce ornatum meũ omnem inspice, qui plenius vberiúsque de vniuersa mea conditione te edocebit, quàm viua vllius voce eadem explicari poterit. Ecce enim quẽ dextra fero gladius est, ad resecandos à corpore Christi quod ipsa ego sum vniuersos impios semper districtꝰ. Rursus sinistra bibliorum volumen omnibus hominibus quantumuis idiotis expositum portat: vt ex eius præscripto cuncta regantur & fiant & ad idem leges omnes siue Ecclesiasticæ siue ciuiles exigãtur. Non hoc ex priscorum patrum idem magis obscurantium quam illustrantium commentis, multo minus ex veteris Ecclesiæ per quam corruptum illud & adulteratum fuisse constat cósuetudine interpretor, sed eũ cuique sensum quem spiritus suggerit libere permitto: Eam arbitrata summam Christianæ religionis felicitatem, quæ à corrupto hominis ingenio nihil mutuata, aliud nihil quam diuini spiritus redoleat sapientiam. Postremo corona iustitiȩ

quam capiti superimpositam gesto, vna cum lumbis Zona præcinctis & vestitu astricto, partim sectatorum meorum paucitatem, partim fidei qua præditi sunt præstantiam & salutis securitaté notat. Quamuis enim pauci vias meas ingressi teneant, tamē quotquot vestigiis meis recte insistunt ij per me salutis suæ certi sic & securi reddūtur, vt coronas iam iam videantur adepti. Nec ignara interim sum quibus ego modis quod ista præ me feram insignia ab hostibus fidei & religionis puræ traducar. Nam & Dei verbum plebeis iuxta & Ecclesiasticis viris patefactum prophanasse, & gladium ad sanguinis effusionem pariter & Ecclesiæ diuisionem comportasse, pacem denique & vnitatem nimia seueritatis specie è medio prorsus sustulisse dicor. Sed cum melioris sortis & conditionis seruum quàm dominū, discipulū quàm magistrum, sponsam quàm maritum esse non oporteat, lubēter ea quæ ante me prior pertulit Christus, propter eum sustineo: qui potens est, & volens iniustas illas calumnias & a me auertere, & in superba persequentium colla inuertere. EPIS. Pulchra quidem omnia (quis neger) sic tamē pulchra, vt sua ipsorum specie cui vis facile pateant, veluti ab ipsis schismatis authoribus ad capiendos simplices artificiosè instructa. Me vero qui obediens Ecclesiæ filius permaneo, tantum abest vt quicquàm grandiloqua ista œncomia permoueant, vt eadē apud æquum quemuis iudicem falsi cōuicturus, non alia quàm quæ ipsa suppeditāt argumenta mi-

hi excogitanda esse existimen. Principio enim quot congregationis scoticanæ elogia siue ab euangelij luce nunc primum sibi patefacta, siue à profitentium paucitate & eorundē puritate, siue demùm a traditionum odio desumpta adferuntur: totidem demōstrationes & eæ quidem potētissimæ instrui, atque ordine collocari mihi videntur quibus nephariæ diuisionis ipsa conuincatur. Deinde in quo facilem nullísque impeditam difficultatibus viam sectatoribus suis pollicerur, eosdem illectos sub finē præcipitaturam se non obscure indicat. Postremo in insignibus quæ præ se fert tanto clarius fraudem deceptionémque suam mūdo aperit, quāto magis apud homines illa ostentans non vera eadem sed falsa & ementita, aut sanè surrepticia esse cōprobat. Sed nos diligentiorem horum examinationem in alium dimittentes locum nunc alteram illam succedentem vicissim audiamus. Nam & illa statum suum quoque deploratura aliquid dicere velle iamdiu videbatur: Et nos qui de vtriusque causa cogn ituri præsidemus vtrique ęquas præbere aures æquum est. Dic sodes ergo mulier quid pulla, vestis eadémque sinuosa laxitate diffluēs, quid nigrum capiti superimpositum velamen, & nodo tandem sub vertice religatum, quid denique reliqua quæ præ te fers insignia sibi volunt? *Catholica*? Quæ quæris nemini obscura esse possunt nisi ei qui neque nomen meum & vitæ conditionem tenet, neque labores varios & ærumnas quibus ab ineunte ætate vexata

grauiter ſum intelligit. Homines quidem me dicunt Catholicam, & qui impia ſuperbia inflati à me deſciuerunt omni conuitiorum genere vltro me proſcindentes idololatricam & ter impiam meretricem Babylonicam vocant. Sum autem aliud nihil quam à primis diebus vaſtis aquarum fluctibus iactata illla Noæ arca, in qua cum animalibus mundis etiam vehebantur immunda: Sum rurſus rete in mare illud magnum huius mundi proiectum, in quo piſces ſimul & boni & mali capiuntur, vel ſi voles, ager ille amplus in quo cum tritico ſimul creſcit & lolium, id eſt, ne ſub allegoriarũ obſcuritate nomen meum celare velle videar, Eccleſia illa magna quam à primis conditi humani generis diebus productam, ſæpius autem & nouiſſime per vnigenitum Dei filium Ieſum Chriſtum reparatam ad finem vſque mũdi ſpiritus ſui potentia propagabit Deus. In qua cùm & boni & mali, pij & impij viuant, hi quidem quanuis per me probentur mimimè, tolerantur tamen propter illos, ne cùm alteri tantum extirpandi ſint vtrique temerario auſu exſcindantur. Hinc mihi à malorum quos intra me tolerare cogor prauis moribus & vita inquinata veſtis pulla quæ tamẽ ſinuoſa in omnem partem capacitate diffluens Eccleſiæ à mari vſque ad mare protenſæ amplitudinem non obſcure indicat. Hinc velamen nigrum nodo ad vnitatis minime rumpendæ ſignificationem religatum, conceptum animo propter impiorum ſcelera dolorem exprimit, hinc lachrymis me &

Eccleſiæ veræ adumbratio ſcriptis pariter et ſermonibus Catholicorũ omnium conformis.

mœrore conficiens, cum omnibus tamen pacẽ me in Christo habere oliuæ ramo protenso profiteor, quandiu beneficiis meis frui volunt. Sic in mediis afflictionibus & ærumnis forti & constanti animo perstitura, donec Christus Ecclesiam suam vltimo die repurgaturus & per angelos suos triticum à palea separaturus superuenerit, lachrymísque omnib⁹ abstersis pro veste pulla stolã cãdidã, & pro velamine nigro coronam auream reposuerit. Liber quidẽ quẽ dextra porto sacrarum literarum paginam cõtinet, quam à Christo & eius Apostolis mihi commendatam accipiens, ex eadem per seruos meos & vnice dilectos filios Episcopos alios aliis ordinatione legitima succedẽtes, salutarẽ & spiritualẽ cibum profero: eã officij partẽ ea lege & conditione ipsis cõmittẽs ne aliud quã quod ab Apostolis acceperint per manus primorũ patrũ (qui veris & iustis eum librum scriptis illustrarunt) hominibus obtrudãt: Itaque doctrinã omnem quæ vel in religione impietatem vel in Ecclesia diuisionem vel in vita denique morũ dissolutionem sapiat, studiosè deuitent. Viuendi porro via quam filiis meis præscribo vt in ea studio indefesso ambulantes salutem suam operentur, sicut carni nondum iugo Christi submissæ dura & difficilis, sic eidem regenitæ & à spiritu sancto inhabitatę, suauis & facilis est: verísque Dei cultoribus qui non tam verbis quã factis Christum dominum expressuri sunt penitus necessaria: nimirũ vt repudiatis & abiectis carnis illecebris vitæ puritati studeant.

Quando autem ea carnis est contumacia vt quanto mollius lautiúsque ea curata est, eò fortius in spiritum insurgat: emacerandam eam & frangendam ieiuniis, præcibúsque continuis assuefaciendam esse ob id maxime pronuncio: quòd his studiis exercitijsue deo gratis, leuiores expeditioresque facti alacriùs in præceptis domini ambulare queant. Iam autem dum hanc à Christo ipso & apostolis præscriptam curam perago, sanctissimósque meos filios qui omnibus seculis pro ea vitam effundere minime dubitarunt, eidem solicitè præficio: ecce peruersi quidam filij Belial, & serui nequã in me insurrexerunt: partim quod salubria illa hominibus præcepta ferã, traditionum humanarum matrem superstitionísque & idololatrię inuentricem: Partim etiam quod bonis malos permixtos perferam: impuris veluti fornicationibus pollutam & fedatã meretricem me traducentes. Quos ego quandiu in corpore meo permanserũt (in multis licet enormiter & flagitiose delinquentes) quanto potui studio foui sustinuíque, eos subinde ad resipiscentiam, humilémque & piam in Christo modestiam hortata. At postquàm superbia tumidi à corpore meo se resciderunt, dolorem quidem perfero, quem nullis consequi verbis queo: in eos tamẽ si a reliquis meis membris discerpẽdis abstinere vellẽt, tantum abest vt crudele quicquam statuam, vt eorum miserata cæcitatem modis omnibus ab ipsis piam illam humilitatem contendam, qua ad me piam & amãtem ipsorum ma-

trem quæ labore meo magno eos in Christo progenui cibi potúsque spiritualis cōmunem refectionē cum reliquis filiis percepturi redire velint postquam verò ab illis aliud nihil quàm pro mansuetudine mea ferociam, pro amore odium, pro beneficiis denique innumeris malefacta quæ regerere possunt maxima reporto: saltem ne aliis noceant, neue adhuc sanos secum ad interitum abducant, quacunque fugerint ea insequor vniuersos quibus animæ salus curæ est diligenter præmonens, vt læthalē discordiæ maculam ipsis inustam aspicientes ab eorundem dehinc contagione omni studio cauere velint. His vexatam modis cùm ab omnibus omnium sæculorum hæreticis fuisse me, tum à modernis his qui nuper à me defecerunt indignissimè crudelissiméque exagitatam grauissime queror. Hos tu homines in ancilla domo profuga quæ nuper te pręteribat expressos conspicere poteras: quæ cum esset inquilina & in familiam meam cooptata filiæ loco nutrita & educata, ornamentis denique omnibus quotidie instructa & ornata, non fidei datæ, non seruitutis pactæ, non beneficiorum acceptorum memor, nulla a me data occasione in libertatem ter miseram & ipsi (heu) nimium infęlicem, seipsam asserere est ausa: nec domo tantum profugere satis habuit, sed ornatu insuper meo partim quidem vero, sed surreptitio, partim fucato & ementito se instruens ancilla dominam, serua liberam & (quod indignissimum est) regno dei abdicata Christi spō-

ſam referre ſtudet. Quã ego te ne audias, neue blandis & confictis eiuſdem ſermonibus capiaris per ſalutem tuam iterum atque iterum oro. Vox enim eius læthalis eſt & via eius ad interitum ducit: & quæ prima fronte ſub ſplendido iuſtitiæ titulo puritatem præ ſe ferat ad finem vero diſcordiæ macula dorſo inſcripta ingenium verè prodens nullã impietatem, nullam hypocriſin, nullam diuidendorum armandorúmque aliorum in alia regnorum artem à ſe non prouenire palam profitetur. EPIS. Facis quod te dignũ eſt (hera) me ſeruũ tuum officij mei erga te & fidei datæ admonens. Simul & ego ſanctè promitto, à cõmunione cum qua tot pro fide Chriſti martyres, tot ſancti confeſſores, tot virgines, omnis denique hominum generis pij & electi vitam obeuntes, nunc demum in Chriſto requieſcunt: nunquam me diſceſſurum. Tota enim tu pulchra es & contra quàm veſtis referat macula in te non reperitur: paradiſus magni opificis, ciuitas magni regis, ſponſa immaculata Chriſti, virgo caſta, ſoli vni viro in fide deſponſata, illuſtris & promicans velut matutinus aër ab aurora, pulchra vt luna, electa vt ſol, pauor qualis eſt ab ordinato exercitu, quæ beata prædicaris à reginis & laudibus celebraris à pellicibus, quæ à filiabus laudaris, vt inalbata ac in dilectum tuum innitens vnguenta ſpiras, quę à deſerto aſcẽdis velut virgula fumi qui prodit à ſuffitu mirrhæ & thuris & de omnibus pulueribus vnguentarij, qui dedit ſibi ipſi boni oderis fragrãtiam, quem con-

Epiphanius lib.3. contra hæ.

„ ſpicata dixit, vnguentum euacuatum eſt no-
„ men tuum, propterea iuuenculæ dilexerunt te:
„ quæ ſtas à dextris regis induta fimbriis deau-
„ ratis, variegata: quæ nihil tenebroſum habes, a-
„ liquando quidem denigrata nunc autem in-
„ tus vere pulchra & inalbata: quo fit vt in te cõ-
„ ſtitutus, à ſectis hæreticorum odioſiſſimis, & à
„ tempeſtuoſis maxime eorum motibus liber ac-
„ quieſcam: & in te ſancta mater Eccleſia, & in
„ ſancta tua doctrina, ac ſola Dei fide, in veritate
„ libẽtiſſime refrigerer. Tu interim frater in domino (quoniam deinceps mihi tecum ſermo futurus eſt) ex duabus vtram ſecuturus ſis vide. Nam quod ad me attinet cum catholica hac & vniuerſali Eccleſia, quæ ab Apoſtolorum temporibus, aut potius à primis mundi iactis fundamentis, vna eadémque ſemper propagata ad præſentem vſque diem fuit, victurum me, & in eadem vbi ita fors feret moriturũ fixa ſtat ſententia. MIS. Imo vero vt in ſermone, ſic in ſermonis tui fructu participando ſocium & eũ quidem indiuiduum me tibi aſſumito. Quoties enim prioris meæ vitæ errores recolo non poſſum non multoties ingemiſcendo væ ſuperbiæ meæ, & contumaciæ ter damnandæ pronunciare: per quam infœlix ego puer priuſquã tam piæ matris merita apud me reputare potui, non tantũ ſalutari illo paſtu memet abdicaui: ſed meis inſuper per errorẽ cõfiſus viribus in mille mortes memet præcipitem dedi. Sed laudetur deus ſuper omnia benedictus, qui fracta cordis mei contumacia ad humilitatem

mentem meam flexit: Itaque ex miserrimo errorum labyrintho ereptum ad sanctissimæ veritatis agnitioné, & Ecclesiæ nimis (heu diu) per me contemptæ gremium, bonorum denique quæ in ea sunt participationé, me reuocauit. Iã verò ne ingratus in tanti beneficij ministrum esse videar, pro tua in me pietate singulari, gratiam tibi non immeritam habeo: méque deinceps tibi totum, id est, germano Ecclesiæ filio dedo: petóque simul vt reliquam functionis tuę sacrosanctæ partem, mecum communicaturus, pręsentem sermonem eo quo cœpisti studio absoluas. Sic enim credo (quod & consentaneum est) plurimos alios ad quos forte sermo hic tuus postea peruenturus est, te Christo lucrifacturum. EPIS. Quòd authorem beneficij accepti Deum agnoscis, in eo quidem recte ac vt decet officiũ facis. Cæterum si meum vel in hoc solo tibi adfuit ministerium quòd ex duro & partinaci mollis, facilísque factus Ecclesiæ vocem audire, atque in omnibus sequi lubenter dehinc velis: non possum non toto animo lætari: clarioré ratus hinc me reportasse victoriam, quàm consecutus is olim putabatur, qui in olimpicis certaminibus alterũ vel cæstu vel lucta vicerit. A qua etiam triumphũ nobiliorem acturum me olim per dei clementiam cõfido, quàm vel de Crœso Cyrus, vel de Dario Alexander, vel de quouis alio hoste dux quantumuis inclytus egisse vnquam memoretur. Quanto enim æterna animæ salus caducis, móxque perituris huius mundi bonis potior

In fide rebelles pugnantes vincere, præclarum.

est: tanto certamen pro ea susceptum pulchrius, finis lætior,& corona demũ inde reportata augustior censeri debet. Sed cauendum sane fuerit vtrique nostrum, ne dum quasi ouabundus alter alteri congratulatur, vterque itidem officium suum & illud quidem primum ac præcipuũ deserat. MIS. Quod illud quæso? scientes namque, vti credo, nunquam cõmittemus vti prǫteriti neglectiue officij nedum violati merito accusemur. EPIS. Tu quidem propter priorem tuam in Apostolicam sedem verborum petulantiam ex officio ad palinodiam, at ego certe propter receptas in me probationis partes ad liquidam in causa proposita sententiam constituendam confirmandámque astrictus teneor. MIS. Recte equidem mones: me enim præter alia multa temere & petulãter prolata, tum scripta ex industria per me olim in primatum Papæ inuectio longe grauius commouet quam Socratẽ olim amoris in Phædro, aut Stesichorũ Hǫlenæ accusatio perturbauit: Vt nisi eos imitatus palinodiam cecinero, maculam conscientiæ contractam eluere vix ac ne vix quidẽ posse mihi videar. Scriptum enim est, non quod ingreditur os coinquinat animam, sed quod egreditur. Tãto vero magis ad quærendam ab ingenua confessione purgationem astrictus teneor, quanto ex diuturnitate moræ plures lædendi per meam imprudentiam grauius extitit periculum. Illorum siquidem vterque, vnus quidem post decantatum carmen in helenam accusatorium, oculo-

rum cæcitate captus, simul vt damnũ senserat: *Socrates* alter etiam cautior prius quam vllum percepis- *apud Pla-* set, à contrario argumento, malum vel auertere *tonem in* infligendum, vel inflictum remouere poterat. *Phædro.* At ego decurso fere decennio vix dum ad me reduci queo, vt stylum profanum atque impurum, quem in sanctissimã sedem ad multorum offensionẽ iustissimam, mei verò ipsius (quantum in me fuit) deploratã subuersionem olim strinxeram: nunc tandem in contrarium vertã argumentum. Quid igitur reliquum est? nisi vt nimiæ dilationis moram ingenuæ confessionis ardor compenset, próque veritate astruẽda vocem liberam veritatéque dignam nunc saltem emittat: vt si quos prior mea calumnia læserat, eosdem reparet reficiátque sera quamuis at certe vera ingenuáq; erroris confessio. Sic enim futurum credo vt clemẽtissimus Deus ad multorum resipiscentiam qui meam pertinaciam prius cognouerunt, expressam hanc tãdem spiritus virtute vocem salubriter sit conuersurus. Illud ergo hemistichion libenter vsurpans, à quo carmen suum Stesichorus exorsus dicitur οὐκ ἐςὶ ἔτυμος λόγος οὗτος in eundẽ sensum re- *Priorem* liquam confessionem ore simul & corde pro- *suum er-* sequor: agnoscens nimirum voces illas quibus *rorem* sanctæ sedis Apostolicæ authoritas passim à sa- *confiten-* tanæ ministris proscinditur, non tantum falsas, *tis pariter* sed ter pestiferas esse: vt quæ diaboli ipsius astu *& dete-* inuectæ & excogitatæ sint ad rumpendam Ec- *stantis* clesiæ vnitatem, quò in diuulsis partibus crude- *palino-* lius ipse sæuire possit. Rursus profiteor ac præ *dia.*

me fero, præcellentem illam poteſtatis authoritatiſque prerogatiuam, quæ in romana ſede à Petro ad hunc vſque pontificem durauit, à Dei ipſius ordinatione & Chriſti inſtitutione profectam: contra quam inferorum portæ minimè vnquam præualebunt. Ac ſic quidem palinodiam non verborũ numero, ſed mentis ſimplicitate æſtimendam habes. Nunc viciſſim quam de clauium poteſtate ſententiam laturus ſis tu videris. Neque enim ambæ aut plures gaudere his poſſunt. EPIS. Ego igitur ſiquidem ſeruum de domina, filium de matre, miſerum denique peccatorem de digniſſima Chriſti ſponſa ſententiam dicere fas eſt, ſedem Romanam à Petro fundatam, & adhũc vſque diẽ continua Epiſcoporum ſerie propagatam vnà, cum reliquis quæ cum ea in fide communicant, clauium poteſtatem indubiam habere, ex Chriſti ipſius ore pronuncio: & aliam omnem congregationem ab eius vnitate deſciſcentem, claues nullas præter adulterinas circunferre.

Nõ apud deſertores Eccleſiæ ius clauium eſſe poſſe.

Quid?quod (vt Cypriani verbis vtar) pertĩgere ipſi ad prœmium Chriſti non poſſunt qui dilectionem Chriſti perfida diſſenſione violarunt. Neque enim cum Deo manere poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis, animas ſuas ponant: non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ: nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus: occidi tales poſſunt, coronari non poſſunt. Quod ſi autem vel temporis antiquitas

vel vitæ ſanctimonia roboris aliquid huic noſtræ ſententiæ allatura videatur, ecce eandem pari numero ex verbis Vincentij illius Lirinenſis conflatam accipe. Seruemus (inquit) præcepta maiorum nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus. Quomodo enim fidẽ eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus. Nam quis ille tam demens eſt, qui eos etſi aſſequi non valeat non exoptet tamen ſequi, quos à defenſione fidei maiorum, nulla vis depulit, non minæ, non blandimenta, non vita, nòn mors, non palatium, nõ ſatellites, non imperator, non imperium, non homines, non dæmones. Quos, inquam, pro religioſę vetuſtatis tenacitate, de tanto munere dominus dignos iudicauit: vt per eos proſtratas repararet Eccleſias, extinctos ſpiritales populos viuificaret, deiectas ſacerdotum coronas reponeret, nefarias illas nouellæ impietatis non literas ſed lituras infuſo cœlitus Epiſcopis lachrymarum fidelium fonte deleret: vniuerſum poſtremo iam penè mundum ſæua repentinæ hæreſeos tempeſtate perculſum, ad antiquã fidem à nouella perfidia, ad antiquam ſanitatem à nouitatis veſania, ad antiquam lucem à nouitatis cæcitate reuocaret. Cuius quidem ſententiæ vtriuſque mirum quàm conſentientis partem vtranque, ne quis forte protuliſſe me, nulla præmiſſa probatione confirmatam arbitretur,, conſilij mei rationem capiat: quam quoties cum fidelibus in veritatis via confirmandis mihi negotiũ eſt, certiſſima lege duxi ſemper eſſe ſeruandam. Ea

Alia disputandi ratio cum fidelibus quàm cũ infidelib⁹ tenenda.

enim eſt quod his quæ toties probata determinatáque ſunt contentus,cum Martiano imperatore in actis concilij Calcedonenſis vere impiũ & ſacrilegum eum cenſeam,qui poſt tot ſacerdotum, addo etiam & conciliorum ſententias, per profanam contentionem aliquid opinioni ſuæ tractandum relinquit. Qui enim poſt veritatem inuẽtam, aliquid vlterius diſcutit,mendacium quærit. Accedit quod ſuperuacanea omnis vel in iure probatio ſit,quoties ingenua litigatoris confeſſio præceſſit,non crimen modò intentatum agnoſcentis, ſed pœnam etiam pro eodem inflictam apertè profitentis. Nam cum hoc vnum ſit & ſolum ferè accuſationis caput, congregationi Scoticanæ aut cuiuis alteri ſectę à toto corpore diſſectę obiectũ, quòd Catholica Eccleſia relicta ipſa ſe ſeparauerit: tãtum abeſt vt factum diſſimulet, vt in eo magnopere glorietur. Deinde ſi ſua quemque cõſcientia admiſſi ſceleris agnitione extimulata agitat, tot furias intus premẽs, quot maledicas voces veſaniæ reſtes emittit: quis non videat quàm iuſtas etiámnum pœnas eadem congregatio perferat? quæ ſpiritualem ſuam matrem, in cuius gremio peccatorum remiſſionem, & bonorum omnium participationem per baptiſmi lauacrum perceperat, non tantum maledictis lacerare, ſed & ſuã quoque eſſe toties negare per ſummam amentiam cogitur. Hic nimirum maternus ſanguis eſt, qui ab impia filia tam auide expetitus de terra,aut impuro potius tanti portenti gutture, clamat. Neque patitur

naturæ author tantam ingratitudinem inultam manere, vt quæ se in matris viscera, ex quibus ipsa prodiit, armare semel sit ausa: eadem non simul parricidij spiritualis crimen incurrisse, ac ob id vt matris, sic solis, cœli, ac bonorũ omniũ expertem inferorum culeo sese inuoluisse sæpius voce sua profiteatur. Quæ cum ita sint, & latæ sententiæ ratio certa vtrinque sic constet: ecquid satis multis eam prosequutus sim, tu videris. Aut dubiũ ne adhuc tibi esse possit, quãtum iuris potestatísve in his hæreticorum conciliabulis insit. MIS. Mihi quidẽ iísque omnibus, qui rectam sequuti doctrinam in Ecclesia vnanimes viuunt, compertissimum est, potestatis legitimæ nihil prorsus esse: vt à ridiculis istis excommunicationum sententiis, quas in Catholicos sic (si Deo placet) validè fulminant, nemo merito metuere debeat. Sed quid illis facias, qui in priore animorum cæcitate perstantes ridiculas istas simias, verorum hominum actiones gestu modo referentes, obseruare atque dispicere non possunt. Etenim si his vt illis debitorem te officij tui ratio vocatióque reddit, ineunda tibi aliqua via fuerit, qua aduersarios pertinacius quamuis reluctantes collato pede vincere, ínque tuam sententiam trahere possis. EPIS. Si quàm per se facile hoc est, tam expeditum & liberum idem ab aduersariorum dolis relinqueretur, opus non valde difficile factu iniungeres. Nunc autem quãdo quò in quæstione ꝓposita perspicuitas maior inest eò astus satanæ tenebras luci offundentis per-

plexior ſubtiliórque exiſtens, docēdi ordinem aut tollit, aut certe impedit: in cōſtituenda docendi methodo, id eſt, in inueniēda via (vti vis) ad conſtringendū aduerſariū idonea, nō parum hæreo. MIS. Quid ita? EPIS. Nempe quod pro aliis controuerſis quæſtionibus finiendis fundamenti loco ſubiici ſolet, hoc per ſummā aduerſariorum improbitatem nobis præripitur. In aliis enim ſiue de iuſtificatione, ſiue de libero arbitrio, ſiue de quouis alio doctrinę capite agatur, concinna & breuis definitio conſtitui poteſt: ad quam principio poſitam quæcunque vtrinque adferri ſolēt tāquam ad regulam omnium certiſsimā exiguntur. At hîc dum de Eccleſiæ iure, & clauium poteſtate diſputatur: nulla tam accurata, tam apta & lucida definitio in medium adferetur, quam non pari ac ipſam Eccleſiæ vocem impudentia ad ſe pertrahant. Siue enim Eccleſiam veram fidelium cœtum Chriſti ſanguine redemptum eſſe dixeris: omnium audaciſsimè ſe eum cœtum eſſe, ac ſolum mētientur. Siue (quod idem quamuis aliis verbis dicit) vera verbi prædicatione & legitima ſacramentorū adminiſtratione Eccleſiā definieris. Iidem omniū primi ſe eos eſſe ſolos apud quos vnà cum vera verbi prędicatione, ſacramēta legitimè adminiſtrētur, impudētiſſime clamabunt: quid? quod iſtarū talium definitionum veluti pro parte ſua plurimū facientium, architecti & auctores exiſtāt. MIS. Quæ igitur indagādæ in hac quæſtione veritatis via aut ratio tenenda tibi eſſe videtur? ab omni namque

Non minus Eccleſiæ definitionem, quamuis quàm nomen hereticos ſibi vēdicare.

inuestigatione penitus desistere, quòd vna hac via exclusus fueris si nō ignauię nimiæ, at certę minus erectæ ad quęrendam, euincendámque veritatē alacritatis foret: præsertim quādo post vnam mox altera studiosè, & diligenter quærētibus, se offerat: ita vt (quod in prouerbio est) exclusus prima, secunda nauigatione vti possis. EPIS. Ad eam igitur vt memet conuertam non aliter sane faciendum videtur quàm si rem aliquam quæsituri prius amissam, domo proficisceremur. Tū enim eos qui domi prius fuissent, & quibus res ipsa adhuc præsens probè agnita fuit, de notis & signis quæ rei inerant, diligenter consuleremus: vt sic edocti sine errore rem eam in qua signa omnia concurrerent, & non aliam vllam domum nobiscum reportaremus. MIS. Eam quidem quærendæ Ecclesiæ veræ atque adeo inuentæ semel iudicandæ, rationem non improbo: imo certissimam esse iudico. At qui illi tandem viri sunt nimiū fęlices qui Ecclesiæ faciem olim conspicati nos viam ingressuros, de eiusdem notis & signis edocere possint? EPIS. Qui istud nobis adiumentum præstent adhuc viuentes longè plurimos citare atque citatos inmedium producere difficile non est. Verùm quoniam cum hominum genere morosо, & difficili, atque vbi ratione aliqua teneri se senserint insigniter proteruó, nobis negotium futurum est: viris his præsentibus (omni quanquam exceptione maioribus) dimissis, alteros quos in vera Ecclesia haud dubie vixisse ipsi pariter aduersarij no-

biſcum affirmant, citabo. MIS. Mirum ſi non veteres primitiuæ Eccleſiæ patres intelligas, quorum alij pro Chriſti confeſſione plurima paſſi, martyrio tandem coronati ſunt: alij hæreticorum exagitati væſania (vt firmiſſimæ in Eccleſia columnæ) inconcuſſi perſtiterunt: Alij demum Chriſtiànam veritatem dictis, factíſque illuſtrantes, pro viribus eandem promouerunt. EPIS. Hos ipſos intelligo, & non alios: quippe ſi Eccleſiam illam veram fuiſſe conſtat, quæ à Chriſto & apoſtolis collecta, & conſtituta fuit, in qua primitias dominicarum frugũ in primis martyribus Chriſtus olim libauit: conſentaneum eſt veræ illius Eccleſiæ, veras notas miniméque fallaces eſſe eas, quas ſancti dei homines non atramento ſolum, ſed ſuo ipſorum ſanguine conſignatas nobis conſecrarunt. MIS. Conſentaneum ſanè, ſi tamen vllas Eccleſiæ notas poſt ſe permanſuras ſcriptis commendarunt. EPIS. Auſculta igitur, & dum eas proprias & peculiares tibi profero, tu de ſingulis tuũ interponens iudiciũ eaſdem, vel admitte, vel ſi potes cum ratione aliqua quę pro aduerſariis facere poſſit, reuelle. Vnum hoc tantum te præmonitum volo, ſi in commemorandis proprietatibus Eccleſiæ veræ natiuis, rem vnam omniũ maxime neceſſariam non quidem omiſero, ſed in proprietatum numero minime poſuero: id neque negligentia, neque ignorantia, ſed ſtudio quodam & conſilio abs me factum iri. Nulla enim res in Eccleſia prior potiorue cenſeri debet, quàm ipſius

Primitiuæ Eccleſiæ patres verorum Eccleſiæ ſignorum oculati teſtes.

verbi veritas minime adulterata. Quippe hęc illius vita est, sine qua emortuã mox tabescere atque interire Ecclesiam est necesse. Neque tamen inter speciales Ecclesiæ proprietates ea (quantumuis cõiuncta & innata sit) recensebitur: propterea quòd nullum vnquam hæreticorum delirium tam stultum támque ineptum extitit, quod non verbi veritatem specie quadam pro se obtenderit. Hic scilicet satanæ Ecclesiæ paci & vnitati semper inuidentis astus fuit, vt quod inter alia vnum vel maximũ, cùm ad dignoscendam Ecclesiam signum, tum ad eandem defendẽdam propugnaculum esse debebat: etsi non penitus è medio sublatum, mille tamen artibus tectum obscuratúmque reddiderit. Quanuis autem in proprietatum serie seorsum & per se sanctissima illa veritas propter iam dictam causam, locum non habebit: nihil tamen vetabit quo minus proprietatum vnaquæque, adeóque ipsa etiam Ecclesia, ad vnicam hanc normam exigatur. MIS. Intelligo: hoc namque vis non tam particularem notam quàm vniuersalem omnium regulam verbi veritatem censeri debere. EPIS. Istud ipsum volo: & proinde liberum tibi esse intelligito, eam omnem Ecclesiæ faciem descriptionémve proprietatũ constanter repudiare: quæ in Dei verbo clarè, & citra omnem allegorici sensus ambiguitatem non fuerit adumbrata. MIS. Legem istam (quando pro certiore eius quod quæritur demõstratione factura videtur) libens admitto. Cęterum præter puram & pri-

mҫuam illam verbi veritatẽ,quænam quæso ex quibus Ecclesiæ veræ facies dignosci potest, proprietates à veteribus descriptæ cernuntur? EPIS. Apud Optatum Mileuitanum contra Donatistas Cathedræ & fontis factam mẽtionem reperio, apud alium charitatem proprietatis loco positam deprehendo: sed quoniam hæ cum verbi prædicatione si nõ vnũ idémque sunt, certè indiuiduo nexu cum eadẽ sic copulantur, vt qui falsa aliqua specie verbum ad se pertraxerint, illas etiam iure suo vsurpasse videantur: ego illis omissis, adeóque his omnibus præteritis, quæ ab vno forsitan aut altero veterum doctorum celebrantur, eas modò in medium adferam, quæ doctorum omnium consensu sic approbatæ sunt: vt ne ipsi quidem aduersarij (modo sibi ipsis consentire velint) easdẽ improbare posint. An nõ in symbolo, partim Niceno, partim Cõstãtinopolitano, vtróq; etiam ab ipsis hæreticis non parum celebrato, veluti indiuiduæ Ecclesiæ veræ notæ quatuor recẽsentur, dum vnam Ecclesiam sanctam Catholicam & Apostolicam credere se patres profitentur. Quarum quidem proprietatum vis vt melius intelligatur, tenendum fuerit Ecclesiam speciem & similitudinem corporis naturalis & viui præ se ferre: adeo vt quæ proprietates dimensionésve vere & naturaliter in illud competant, easdem suo iure sibi vendicet Ecclesia. Vt igitur animantis corpus viuum vere & proprie dicitur, à quo quandiu viuit, animus indiuiduus est, & in quo membra plura & di-

Vera Ecclesiæ signa indubitata.

Ecclesia corporis viuentis speciem habet.

uersa cernuntur, quorum tamen nullum ipsum animal vocari potest: ita de Ecclesia sentiendum fuerit. Promissum nanque spiritum sanctum, &c. corpus totum Ecclesiæ, & viua eius veráque membra singula viuificantem, perpetuo in se habet: à quo tum natiuum sanctitatis vigorem, tum in latitudinem simul & longitudinem iustum incrementum subinde consequitur. Quemadmodum itaque in vnitate Ecclesiæ corpus totum notatur: ita in tribus reliquis proprietatibus vniuersæ quæ in corpore naturali cernuntur dimensiones non ineleganter exprimuntur. MIS. Quibus illis? EPIS. Cernitur in Ecclesia quædam per continuam successionis seriem, in finem vsque mundi protensa duratio. Est rursus in eadem quædã (vt ita loquar) vniuersalitas, secundum quam ipsa per totum terrarum orbem diffusa intelligitur. Postremo solidum sanctitatis robur & firmamentum, per quod contra inferni portas inuicta ipsa Ecclesia durat, in eadem deprehenditur. Harum ego primam longitudini, secundam latitudini, tertiam profunditati siue crassitiei respondere non ineptè dixerim. MIS. Fateor quidem in singulis analogiam non valde impropriam reperiri: sed quibus tu vel scripturarum vel doctorum testimoniis, necessarias illas in Ecclesia proprietates esse docebis? EPIS. Vt ordine singula mõstrẽtur, ab vnitate (quam primam Ecclesiæ proprietatem posuimus) incipiendum nobis fuerit: quæ præclaro quodam & splendido carismatum diademate Ecclesiam

Eccl. longitudo.

Eiusdem latitudo.

Eiusdem solida crassities.

Vnitatem esse Ecclesiæ notam probatur.

fingens, plurimis clarissimísque testimoniis nihilominus Ecclesiæ necessaria esse, quam viuēti corpori animus perhibetur. Principio autem insigne illud sponsi præconium in canticis extat: Vna est columba mea perfecta mea. Hāc significauit quidem inconsutilis illa Christi tunica neutiquam scindenda, sed quò tota vni obueniat sorte diiudicanda. Eadem non obscurè adumbrauit domus illa, in qua comedebatur agnus, Christi illius ab origine mundi occisi, propria & diserta figura. Eandem expressit Apostolus, vnum corpus & vnum spiritum cunctos fideles pronūcians. Quibus tam claris scripturarum testimoniis reliquum credo fuerit, (iuxta atque promisimus) primorum patrum de vnitate Ecclesiæ tanquam proprietate necessario requisita loquentium, testimonia subiicere. Inter orthodoxos igitur patres fidelis Ecclesiæ doctor, & constans Christi martyr Cyprianus tantò authoritate grauior, quantò aliis tempore prior semper habitus, in tractatu de simplicitate prælatorum hæc habet de Ecclesię vnitate verba disertissima. Quamuis apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, tamē vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod erat petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Et rursus, Ecclesia enim vna est, quæ vna & intus esse & foris non potest:

Cyprianus.

potest: si enim apud Nouatianum est, apud ,, Cornelium non est: si vero apud Cornelium ,, fuit qui Episcopo Fabiano legitima ordinatio- ,, ne successit, & quem præter sacerdotij hono- ,, rē martyrio quoque dominus glorificauit: No- ,, uatianus in Ecclesia non est. Audis sic necessa- ,, riam in Ecclesia vnitatem, vt & eius seruandæ ,, causa Petrus speciali prærogatiua à domino re- ,, liquis prælatus fuerit, & eandem rumpendo v- ,, nitatem Nouatianus in Ecclesia esse desierit: ,, postremo vt sine ea, Ecclesia omnino cōsiste- ,, re non possit. MIS. Audio sane diserta Cypriani verba, quæ dicis omnia clare confirmantis. Sed quid illis facias qui Cyprianum quamuis & vetustate clarum & martyrio coronatum hominem tamen fuisse, ac ob id errare potuisse, imo & alicubi errasse aiunt? vt illius testimonia quæuis tum demum rata haberi debeāt, quando ea verbo dei confirmata reddiderit. Quod cùm aduersus singulos alios doctores adferre soleant: tum in eum optimo iure id dicere posse videntur, qui consimili atque Cyprianus erroris næuo aspersus fuerit. EPIS. Ad hanc tuam obiectionem quam ex aduersariorum sententia adfers, non melius responsurus mihi videor, quàm si in consimili dubitatione veteris illius Vincentij verba tum mihi tum aliis sequēda proponam, nimirum vt pestifero corruptóque membro (si quando aliquod tale deprehendatur) vniuersi corporis sanitas anteponatur. Quæ sententia vt de singulis ab Ecclesiæ totius consensu deficientibus

rata habeatur, tamen an in Cyprianum etiam propter quamuis particularem assertionem cadat, non ita compertum habeo. Neque enim vllum Ecclesiæ decretum extitit, contra quod vlla sua priuata sententia veniens, obediēs Ecclesiæ filius esse desierit. Deinde etiam si opinionem aliquam fouerit, ab Ecclesia postea minime receptam, immo & improbatam: tamen in ea nō sic pertinax perstitit, vt resectionis maculam mereretur. Sed vt (quod grauissimum est) errasse Cyprianum concedamus: tantum tamen abest vt vel illi, vel cuiuis doctorum quantumuis pręcellenti, in quibus errauerit fidem haberi velim: vt si quando à verbo & Ecclesia (quæ verbi custos est) in aliquo diuersum senserit tum iuxta sententiam iam prolatā, non eum sed Ecclesiam sequendam esse constanter affirmem: omninóque relicto singulari vnius vllius sensu, consensum omnium tenendum esse cēseam. Quo fit vt non tam me grauet quòd Cyprianus olim errasse dicatur, quàm erroris causā euidentissima ratione confirmet. Non enim cum Ecclesia sentiendo errasse eum, sed eò tantum quòd suum ipsius iudicium sequutus sit, istam erroris maculam sibi inussisse, vel ipsi aduersarij dicere possunt. Itaque si contrariorum contraria debet esse ratio, certe quàm infirma aut potius nulla vnius authoritas contra Ecclesiæ totius cōsensum haberi debet: tantum eidem (si quando consentaneè loquatur) deferre, & ratio suadet, & communis ille spiritus (eorum quæ in Ecclesia conformiter dicūtur solus

Præferendum esse Ecclesiæ cōsensum vnius quā-uis præcellentis auctoritati.

author) sua interposita authoritate strictissimè mandat. Iam verò quod in quæstione est, nisi ex omniũ aliorum tum præcedentium tũ subsequentiũ cõsensu, Cyprianũ ista quæ de vnitate Ecclesiæ scripserit dixisse, ipsi etiã aduersarij fateantur: quo minus ex eo citata omnia testimonia nullo loco habeantur minime recuso. Quoniam itaque in ore duorum aut trium stat omne verbum, subsequentium doctorum voces audiamus. Hieronimus lib. 1. aduersus Iouinianũ hæc verba per obiectionis modum adfert. *Hieronymus.*
" At dices super petrum fundatur Eccle-
" sia: licet idipsum alio in loco super omnes apo-
" stolos fiat, & cuncti claues regni cęlorum acci-
" piant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo
" solidetur: tamen propterea vnus inter duode-
" cim electus est, vt capite constituto schismatis
" tollatur occasio. Et ad Damasum pontificem,
" ego nullum nisi Christum sequens beatitudini
" tuæ, id est, cathedræ petri communione con-
" socior. Supra illã petram ędificatam Ecclesiam
" esse scio: quicũque extra hanc domum agnum comederit profanus est. Ecce rursus audis ex D. Hieronymo non tantum vnitatem in Ecclesia necessariam & ab vno profectam capite: sed & eandem in Romana sede sic constitutam, vt qui eandem reliquerit amplius Christianus minime censeatur. Augustini verò testimonia recensere quid attinet? quando integrum contra donatistas conscriptum volumen, quàm ille vir sanctissimus & omnem Ecclesiæ diuisionem auersatus fuerit, & eiusdem vnitatem probarit. *Augustinus.*

abunde testetur. Neque vero vnitatem Ecclesiæ veræ peculiarem notam extitisse solum, sed pari necessitate hæreticos quòd ab eius vnitate defecerint, in multitudinem discerptos fuisse, ac proinde euanuisse grauissimi authores testantur. Tantum nimirum in rebus ipsis contrariis momẽti inest vt principij illius Dialectici, (quo contrariorum contraria esse consequentia dicuntur) certa & indubitata veritas vel hoc loco facile appareat. Sic enim de sui temporis hæreticis Hylarius in lib. ad Constantinum Augustum scribit: periculosum (inquit) nobis admodum atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere quot voluntates, & tot nobis doctrinas esse quot mores, & tot causas blasphemiarum pullulare quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur vt volumus: aut ita vt volumus intelliguntur. Et cùm secundùm vnum deum, & vnum dominum, & vnum baptisma, etiam vna fides sit: excidimus ab illa fide quæ sola est: & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse ne vlla sit. Cui subscribens Gregorius sic ait: habent hæretici hoc proprium, quòd in eo gradu in quo de Ecclesia exeunt, diu stare non possunt: sed ad deteriora quotidie ruunt: & sentiendo peiora in multis se partibus scindunt, atque à semetipsis plerúmque longius confusionis suę altercatione diuiduntur. Eadem fere habet Epiphanius: hunc morẽ, inquiens, habent hæretici quoties vno verbo pietatem contempserint, & à via veritatis aberrauerít, in multos & varios errores labi. Vnifor-

Hylarius.

Lib. 3. Moraliũ cap. 19.

57. a. Haresi Epiphan.

mis enim res veritas: mendacium autẽ in varia diſtrahitur, Vnde grauis quidã ſcriptor ſuo tẽpore talem ſectionẽ accidiſſe memoriæ mandat ad hũc modũ: Sed non diu hæreticos tulit, qui " ſalutis noſtræ curã gerit deus. Nam adulterina " Eccleſiæ dogmata, quæ paulatim emicuerant, " breui ſunt extincta: ita ſeipſis interſe aboli- " tus cum alij ſuper alios nouis rebus ſtuderent " atque inter ſe conflictarentur, non aliter quam " fluctuum commotiones inſurgentes ſubinde " atque decidẽtes, in varias multiplicéſque abeũt " formas: & poſtremo, vt nihil eorum appareat, " euaneſcunt. Contra veritatis ipſius cauſa tum " incrementa ſua capiebat, magiſque in dies au- " gebatur, acceſſionem quandam & robur cer- " tum ex hæreticorum inſultu ſumens. Semper " enim ſibi conſtabat Eccleſiæ Catholicæ ſplen- " dor, & ſtatus, & grauitas. Iam vero antiquiſſimus Tertulianus in lib. de præſcriptionib⁹ hæreticorum, non tantum hanc multitudinis differentis diuerſitatíſque multæ proprietatem hæreticis adſcribit: ſed eiuſdem cauſam ſolerter indagatam ponit. Nempe quòd dum ſuo quiſque modulatur arbitrio, quæ accepit, quemadmodũ de arbitrio ſuo ea cõpoſuit ille qui tradidit, à ſuis ipſorum regulis variant. Ex quibus " omnibus illud tandem efficitur non vnius Cy- " priani, ſed multorum, nec multorum modo, ſed totius Eccleſiæ iudicio vnitatem Eccleſiæ proprietatem indiuiduam comprobari: neque minus eã Eccleſiæ vere ad natam quàm hæreticis omniũ ſeculorum innatum fuerat, in variam at-

Tertulianus.

que incertam multitudinem subinde deriuari. Quò fit vt(mea quidem sententia) opus non sit aliorũ testimonia pluribus pertexere, in re præsertim non multum controuersa:quando in rebus maximè dubiis duos aut tres adhibuisse testes pro facienda fide,vel ex Euangelij præscripto satis habeatur. MIS. Nihil sane est opus quando quidem vnum ouile, & pastorẽ vnum Iesum Christũ esse,scripturæ sacræ passim commemorant.Quapropter quasi vnitatem in vinculo pacis conflatam, non tantum insignem quandam proprietatem : sed præcipuum insuper decus & ornamentum in Ecclesia confiterentur omnes,tu te ad alias quæ supersunt proprietates pari euidentia cõmonstrandas conferto. EPIS. In tribus proprietatibus quæ sequuntur, non ita multũ interest quam cui præmittamus:modo doctrinæ facilitati & demonstrationis euidentiæ seruientes, eum teneamus ordinem, qui pro tempore commodissimus visus fuerit. Itaque secundo loco ad eam Ecclesiæ proprietatem accedamus, quam in sanctitate positam, vigori corporis aut robori respondere diximus. Ea verò quum duplici intellectu passim apud omnes tum doctores sacros, tum authores bonos capiatur:sub vtroque(dispari quamuis modo) in Ecclesiã veram & eam solam verissimè competit. Vno namque modo pro vitæ puritate & innocentia, altero pro inuicta quadam firmitate& constantia,quę expugnari nõ potest, sumitur. Priori modo quãuis oculis hominum nõ sic manifestè appareat

Sanctitatẽ esse Ecclesiæ veræ notã probat.

Ecclesiæ puritas, propter multorũ in ea viuentium impuritatem: certum tamen est à meliori parte hominum pietati pro viribus studentiũ, propter inhabitantem spiritum omnis sanctitatis causam, nõ abs re Ecclesiam sanctam nuncupari. Nam vt corpus hominis næuis quamuis aspersum, propter beneficium vitæ in singulis membris functiones suas exercentis, natiua & non asciticia pulchritudine cõspicuũ cernitur: ita ab interno spiritu instar animæ Ecclesiam totam in membris veris & viuis administrante, Ecclesia ipsa (multa quamquam impuritate laborans) sancta & est, & verè dicitur. De hac sanctitate extát testimonia: primo quidem in Canticis: nigra est dilecta mea sed formosa. Et eandem Petrus Ecclesiam gentem sanctam & regale sacerdotiũ vocat, quòd eam Christus sanguine suo lauerit, tradiderítque semetipsum pro ea: vti illã sanctificaret, atque ab operibus mortuis emundaret. Hac ratione Augustinus in Psalmum 85. testis est, fideles sanctos vocari. Et Optatus Mileuitanus Ecclesiam vnã vocat, cuius sanctitas de sacramentis colligitur: non de superbia personarum ponderatur. Et Chrysostomus homil. 10. in Hebræos fidelis (inquit) sanctus est quatenus fidelis: & mox subdit alios esse sanctos vita & fide, alios fide tantum. Quibus verbis præfati omnes nihil improbitatem malorum bonis conuiuentium impedire indicant, quo minùs spiritus inhabitantis sordésque omnes subinde expurgantis beneficio, Ecclesia tota sancta dicatur: præsertim quando

Similitudo apta.

Cant. cap. 6.

1. Pet. ca. 2.

August.

Optatus lib. 2.

Chrysost.

quicunque vere sancti sunt, ij omnes in Ecclesia sunt: extra autem præter falsam & ementitam sanctitatis speciem sanctitatis nihil deprehendatur. Neque enim scoria auri precium tollit, nec næuus natiuam pulchritudinem quam obfuscat, omnino nullam esse facit. In priore ergo sensu vocis, sanctitatem verá miniméque dubiam Ecclesiæ proprietatem esse, facile constare potest. Secundo autem sensu tanto certior sanctitatis attributio merito videri potest: quanto clarior probatio non tantum ex scripturarū authoritate & doctorum testimoniis, sed omniū sæculorum deprehensa ad hunc vsque diem experientia existit. Nam cùm secūda acceptione id sanctum sit quod vndequaque munitum, aut neutiquam violādum habeatur: quomodo muros sanctos, item & magistratus, optimos quósque sequuti authores dicimus: profectò Ecclesia hoc sensu vel sanctissima suo iure dici poterit: quippe quam Christo dicatā nulla nec terrena nec inferna vis, illi potest
Cant.6. eripere. De hac enim est illud in Canticis. Terribilis vt castrorum acies ordinata. De hac illud Euangelij quod ædificata nimirum super petram sit, ita vt neque pluuiæ, neque venti, neque flumina irruentia eam subuertere possint. Habet enim fundamentum firmum & stabile
Paul ad de quo Apostolus: fūdamētum aliud nemo po-
1.Cor. 13 test ponere præter id quod positum est. & Psal-
*Psal.*103. mographus fundasti eam super stabilitatē suā, non inclinabitur in sæculum sæculi. Et proin-
Chrysost. de Chrysostomus Homilia de ipsius expulsio-

ne hãc Ecclesiæ firmitatem admiratus, eam terra, imo & cœlo fortiorem pronũciat: solem ipsum vt extingui sit facilius, quàm Ecclesiam victam extirpari. Quod si autem roboris illius, & firmitatis causam animis reputemus, tum & simul mirari desinemus, simúlque frustra eam ab aduersariis omnibꝰ peti facile intelligemus: vt quam impugnare licet sæpius, expugnare tamen nunquam aduersus tam fortem propugnatorem vniuersi possint. Spiritus enim sanctus est, qui perpetuo Ecclesiam inhabitãs eam animat: neque tantum contra apertam vim armat & roborat, sed contra clandestinas insuper insidias tutam tectámque reddit. Circundedit enim (vt ait propheta) domum suam quę est Ecclesia iis qui militant sibi. Hoc igitur tam streuuo bellatore freta Ecclesia, eiúsque virtutem minime falsam sæpius experta, hostes suos omnes seu paganos & tyrannos, seu hæreticos & schismaticos fortiter cõtemnere didicit. Quippe sæuis illorum oppugnationibus nõ tam debilitata, quam sæculis omnibus confirmata, auctáque magis & corroborata fuit: vt non abs re illud Dauidicum in persona Israëlis decantari possit: *Sæpe expugnauerũt me à iuuẽtute mea, etenim non potuerunt mihi.* Hanc itaque firmitatem Ecclesiæ inseparabilem vno ore concelebrantes doctores, miris præconiis eam efferunt. Augustinus quidem, quòd Ecclesia oppugnari potest, expugnari autem nõ potest. Et Tertulianus non deficiet ista quam tunc ædificari magis scias cùm cædi videtur. Et idem rur-

Psal. 128.

August. 181. Sermone.

Tertul. ad Scapulam



,, ſus in apologetico exquiſitior quæquè crudeli-
,, tas veſtra illecebra eſt magis ſectæ : plures effi-
,, cimur quoties metimur à vobis : ſemen enim
,, eſt ſanguis Chriſtianorum. Et iterum de fuga
,, in perſecutione. Quis eſt enim exitus perſe-
,, quutionis ? quis effectus alius niſi probatio &
,, reprobatio fidei qua ſuos vtique dominus exa-
,, minat ? & poſt : ita agnoſces ad eundem ago-
,, nothetam pertinere certaminis arbitrium, quî
,, inuitat ad præmium. Totum quod agitur in
,, perſequutione, gloria dei eſt, probantis & re-
,, probantis, imponentis & deponentis : quod
,, autem ad gloriam dei pertinet vtique ex volũ-
,, tate illius eueniet. Sed quando deus magis cre-
,, ditur niſi cum magis timetur niſi in tempore
,, perſequutionis : tunc & fides in expeditione
,, ſolicitior, & diſciplina in ieiuniis, in ſtationib⁹,
,, & orationibus, & humilitate, in alterutra dili-
,, gentia & dilectione in ſanctitate & ſobrietate.
,, Non enim vacatur niſi timori & ſpei, adeo ex
,, hoc ipſo oſtenditur nobis, non poſſe diabolo
,, deputari eam quæ meliores efficit dei ſeruos.

Hylarius lib. 7. de Trinitat. Et Hylarius: dum perſequitur, floret : dum opprimitur, creſcit : dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit : dum arguitur, intelligit: tunc ſtat erecta, cum ſuperari videtur. Et Greg.

Greg. Nazianz. 1. contra Iulianum. Nazianzenus perſecutionibus eã creſcere ait, quoniam animæ magis in pietate ſunt obſtinatæ, & per diſcrimina tanquam ferrum can-
,, dens aquæ vi temperatæ, ac ſolidiores redditæ.
,, Solet enim generoſa prudẽtia pertinacius vio-
,, lentiæ reſiſtere, non ſecus ac flamma ventis

agitata tanto plus accenditur, quãto vehementius inflammatur. Et Hieronymus: Ecclesia persecutionibus inflamatur & ardet, sicut olim rubus Moysi: verùm loquẽte in illa domino non perit, neque cõsumitur. Et Ambrosius sicut aurum bonum, ita Ecclesia cum vritur, detrimẽta non sentit, sed magis fulgor eius augetur. Et alio loco: vt vinea dum iugatur, erigitur: & resciſſa non minuitur, sed augetur: sic Ecclesia dũ ligatur, soluitur, dũ humiliatur, attollitur: dum reciditur, coronatur. Et leo pontifex: non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur: & semper dominicus ager segete ditiore vestitur: dum grana quæ singula cadũt multiplicata nascũtur. Quæ œncomia firmitatis, sanctæ sanctitatisque firmæ & constantis longe clariſſima, ecquid secundã Ecclesiæ veræ proprietatẽ satis nobis cõfirment, tu videris. Meo nãque iudicio sic clarè eam notam euincunt, vt eãdem præter veram & Catholicam Ecclesiam alia nulla secta vsurpare vllo iure poſſit. Quid? quod non tantum natiua quædam & semper Ecclesiæ veræ adhærens conditio, sed tertiæ insuper proprietatis ipsius nimirum vniuersalitatis veluti ex se consurgẽtis, causa esse vera & efficax commonstratur. Quemadmodum enim quibus studium est Syluam maiorem facere, eam incîdunt, vt ex singulis radicibus propagines plures postea enascantur: ita tyrannorum persequutionibus succîsa sæpius Ecclesia, in nouas denuo plantas succrescit: quæ in omnem partem ramos suos latiſſimè diffundentes, vel toti

Hieronym.⁹ ad Fabiolam.

Ambros. in Psalm. 118.

Leo pont. ĩ sermone primo de natali Petri & Pauli.

Ex persequutione vniuersalitas nata.

occupandæ imo & operiendæ terræ facile sufficiant. Cuius rei argumentum clarissimum in primis iactæ Ecclesiæ fundamentis, cùm manifeste appareat: tum in quo tantum perficiebatur opus non ita multum temporis effluxerat: vt non minus temporis breuitatem, quam operis confecti magnitudinem merito quis mirari possit. Ab Hierusalem enim, vnde Euāgelij verba prædicari primum cœpta sunt, sic subito eadem tanquam solis radij effulserunt vt in tribus diuersis orbis partibus Asia, Aphrica, Europa, vno eodémque fere temporis momento throni Christo erigerentur. Contulit quidem non parum (fateor) ad hanc tam celerem Euangelij propagationem imperator Tiberius, quem Ethnicum licet & idololatram sic flexit dominus: vt de Christo passo, & à mortuis resuscitato certior semel à Pilato factus, nō prius acquieuerit: quam de eo ad Senatum retulerit, palámque interdixerit, ne quis Christi Christianorumue deinceps accusator existeret. Sub eo itaque Ecclesiæ passim non aliter atque verni flores consurrexerunt: quæ deinceps non tantum læto trāquillitatis tempore, sed aduersis etiam persecutionū procellis fœliciter permansuræ, in immensum robur creuerunt: vt
Psal. 18. non abs re per Psalmographū de futura in tēpore Euangelij Ecclesiæ claritate dictum fuisse constet: in omnem terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ verba eorū. Nam & ipse Apostolus Paulus dum adhuc iacerentur Euan-
Cap. 1. gelij fundamēta: Ad Romanos scribens sic ait,

fides vestra annũtiatur per vniuersum mũdum. Et certe si non in vniuersum mundũ diffusa,sed quibusdam terræ angulis constricta Ecclesia intelligatur, quod Optatus contra Donatistas, *Lib.2.* quasi incommodum maximum adfert, id quiuis merito dicere posset: si per tot prouincias, quot vix numerari possunt, non sit Ecclesia: vbi erit proprietas catholici nominis? cum inde dicta sit Catholica, quòd sit rationabilis & vbique diffusa. Nam si sic coarctatur Ecclesia, si vniuersæ subducũtur gẽtes, vbi erit illud quod filius dei meruit? An non illius sanguis (vt quodam in loco eleganter loquitur Hieronymus) *Hier.contra Luciferianos.* sterilis censebitur? Vbi erit quod libenter ei largitus est pater? dicens: dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: Et rursus: dominabitur à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad terminos terræ. Tota terra promissa est à patre, qui dum promittit nihil excipit. De hac Ecclesiæ per orbem terrarum diffusæ latitudine conformiter Augustinus ait Sermone 131. & 181. de tempore: Catholica (inquit) toto orbe diffusa intelligitur, quia diuersorum hæreticorum Ecclesiæ ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca & suas quasque prouincias continentur. Et ante eũ Origenes: Catholici dicimur, quia sentimus idem quod vniuersus mundus. Atq; hæc pauca ex innumeris quæ depromi possunt si cui minus sufficere videãtur, ad vniuersalitatis notam euincendam: is ex Optato & Augustino plura repetat. Hæc enim instituto præsenti arbitra-

tus satis accommodá, reliqua consulto prætermittenda duco. Nisi forte aliquid abs te in medium, allatum fuerit quod pro aduersariis faciens, vel hæc infirmare quæ diximus, vel maiorem aliquam confirmationem desiderare videatur. MIS. Quæ de sanctitate & vniuersalitate abs te dicta sunt memoria adhuc retinẽs, non possum equidem non omnia cum scripturis sacris, tum doctorum testimoniis sic confirmata probare. Ideóq; aduersarios perparuam in supra dictis difficultatem dubitationémve facturos confido: nisi forte caput illud durationis sibi parum correspondere intelligentes, paulo aliter ac tu interpretari idẽ velint. EPIS. Quo inquam modo? MIS. Nempe vt dicant Ecclesiam ita quidem durare, vt non semper tamen visibilis sit: sed cum vniuersalis persecutionis tẽpore obscurá lateat, non hominum, sed Dei solius oculis conspicua, mox sedata tempestate è tenebris in lucem emergere, deo sic per temporũ interualla, nunc suã Ecclesiam sub afflictionis nebula occultante, nunc verò vicissim dato ad respirandum tempore claram lucem eidem offundente. EPIS. Intelligo tritam illam stropham, & quo spectet eadem facile teneo. Nempe tenebras inde imperitis offundere conantur, dum Ecclesiam talem volunt, quæ ignoretur penitus sensúmq; omnem effugiat: quasi vbi hoc obtinuerint, affirmare simul possint, se suámque sectam priusquam essent, imo quando in rerum natura (quod aiunt) omnino non extarẽt, durasse tamen. Sed hoc il-

lorum commentum ſubtile quidem falſitatis coarguit ipſe Chriſtus Matthęi 18. adire Eccleſiam iubens, & apud illam delinquentis fratris nomen deferre: quod vtique impoſſibile factu foret, ſi inuiſibilis eſſet. Sed profecto non ita eſt, nec per prophetas loquens ſpiritus ſanctus ſic nos docuit: qui Chriſtum tabernaculum ſuum, id eſt ſuam Eccleſiam poſuiſſe in ſole paſſim commemorat: vt claram eam & illuſtrem omnibus faceret. Qua etiã de cauſa vocat eam ciuitatem in monte poſitam, quæ non poteſt abſcondi. Iſte ſcilicet mons eſt, de quo Eſaias prædixit, fore inquiens in nouiſſimis diebus præparatum montem, domum domini in vertice montium, qui ſuper colles eleuabitur, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. Cum quibus tum Chriſti tum prophetarum verbis iſtud Eccleſiæ inuiſibilis quæ nuſquam percipiatur figmentum, quo pacto cõueniat ipſi viderint. MIS. Vt quod verum eſt dicam, non valde inter ſe conuenire videntur, quod ab ipſis refertur, & quæ abs te citantur teſtimonia. Sed vide an non multo firmiora ſint, quæ contra vniuerſalitatem (ſaltem vt eam confirmare viſus es) pro ſe adferunt. Nõ enim nudis tantum commentis & expoſitionibus nituntur, ſed aperta teſtimonia ſcripturarum producunt: quibus longe aliam & diuerſam vniuerſalitatis faciem eſſe debere conuincant. Ac primo illud Cantici: annuncia mihi quẽ dilexit anima mea, vbi paſcis vbi cubas in meridie? Quæ verba quidem ad Eccleſiam pro-

lata esse cōstat. Porro meridies (orbis nimirum terrarum vnus angulus) locus definitur, in quo relictis aliis terræ regionibus Ecclesia molliter recubet. Quod si ita est, vnde nobis istam vniuersalitatem per totum terrarum orbem diffusam, quæ corporis (vt ais) latitudinem referat? EPIS. Verba agnosco lubens, quibus ad suam stabiliendam Ecclesiam Donatistæ contra Catholicam olim abutentes, Augustino permolesti fuerunt. Sed scis vt veteranus ille Christi miles telum istud hostibus extorserit. MIS. Quo pacto ego quibus ille artibus telū hoc eripuerit, intelligere possum? qui de Donatistis vnde nam essent, quámve partem incolerēt, aut quam sectam religionémve profiterentur, ne verbo quidem vnquā audiui. EPIS. Vis ergo priusquam vlterius pergo, quò verborum allatorum vterque & germanus, & ab illis confictus adulteratúsque sensus magis pateat, istorū Donatistarum historiam paucis perstringam? MIS. Maximè. EPIS. Orta hæc hæresis in Aphrica fuit, ab authore Donato annum circiter Christi (vt est Hieronymi Cronicō) 331. Caussam autem hæresi (vt est author Optatus Mileuitanus) dedit schisma triplici de causa, & à tribus diuersis personis in Ecclesiam introductū. Nam Lucillæ factiosæ & diuitis mulieris propter Ecclesiasticam correptionem irritatæ superbia, principium: Botri & Celesij in ordinatione Cęciliani postpositorum ambitio, incrementum: Seniorum demum aliquot de aureis templi vasis postulatorū auaritia, occasionem

ſchiſmati dederunt. Quod ſic productum, nutritum, & roboratum arripiens Donatus, mox in hæreſim conuertit. Poſtea verò eadem hæreſis ab altero ſuccedente Donato aucta magis & confirmata, his omnibus qui eam profitebantur nomen dedit: vt Donatiani aut Donatiſtæ ab eo appellarentur. Hi homines Eccleſiā in Aphrica tātum eſſe, in reliquo verò toto orbe prorſus periiſſe affirmarunt, contextum illum Canticorum quem nuper retuliſti, cum aliquot aliis ſcripturarum locis deprauatis pro ſe nō minus ſedulò, quàm noſtri aduerſarij adferentes. Quam hominum veſaniam nimium obfirmatam, toto animo deteſtatus Auguſtinus, inter alia quibus ipſorum ineptias refellit, peruerſæ etiam iſti expoſitioni qua meridiem Aphricam interpretantes, in eius tantum parte Eccleſiam recubare, contenderunt, dupliciter occurrit. Ac primum ſuo ipſorum telo eos iugulans, Maximianiſtas (qui ab ipſis paulò antè defecerunt) eodē aut potiore etiam iure Eccleſiam apud ſe ſolos eſſe, dicere poſſe ob id confirmat: quòd illi quàm reliqui Donatiani longè magis ad auſtrum vergerēt, & loca inſuper anguſtioribus finibus circunſcripta inhabitarent. Vt ſi habitandi locus vel anguſtus, vel ad meridiem vergens, pro Donatiſtis cōtra Eccleſiam Catholicam ad vendicandum Eccleſiæ ius aut nomē, faceret aliquid: idem pro Maximianiſtis contra cæteros Donatiſtas longè magis facere deberet. Deinde vero clara & dilucida meridiei allata ſignificatione docet ea

voce in verbis illis non locum aliquem designari, ſed cum luce feruorem intelligi: quaſi non reſponſionem reddentis ſermo eſſet, ſed cõtinuo orationis filo interrogãtis vbinã ſponſus paſceret & recubaret, qui nunquam niſi in fidei luce &charitatis feruore recumbere ſolet. Audiuiſti vtrumque,& quę pro ſe in ſua hæreſi confirmandis, donatiſtæ ipſi ſibi confinxerunt ſenſum, & inſuper eum quem fidei analogiæ conformen ad eoſdem oppugnandos produxerat Auguſtinus. Ex quorum duorum ſenſuum inter, ſe comparatione facile(niſi fallor) intelligis, quàm nihil iſta faciant verba contra illam quam ſupra poſuimus Eccleſiæ vniuerſalitatem. MIS. Intelligo nunc demum, non tam ſecundum literam, vt aiunt, quàm ſecundum allegoriam iſta verba eſſe capienda. Proinde quaſi ſuperioribus iſtis confirmatis, per me licet ad vltimam oſtendẽdam proprietatem accedas: ſic tamen vt quantò ordinariæ ſucceſſioni ab aduerſariis vehementius obſtrepitur, tantò maiorem inſtructiorémque probationis euidentiam tecum adferendam eſſe exiſtimes. EPIS. Non ignarus ſum hanc vnam eſſe, quam vix ac ne vix quidem aduerſariorum aures ferre poſſint, neque ſane iniuria: quippe hac vna admiſſa, quam à ſe longiſſimè eſſe ipſi confitentur, de tota cauſa actum eſſe facile intelligunt. Et proinde non tantum quia abs te præmonitus ſum, ſed quòd aduerſariorum hac in parte perquàm difficilem tergiuerſationem fore longè antè præuideram, eadem cum illis

Succeſſionem, quã ferre non poſſunt hæretici, Eccleſiæ notã eſſe probatur.

lege agendum,arbitratus sum, quam presbiter Cecinius olim de conuincendis Arrianis interrogatus Catholicis tùm tutissimam,tùm æquissimam tùm etiam potentissimam fore existimauit. Vti si doctorum non quidem vnius aut paucorum, sed omnium vniformi consensui standum esse arbitrentur, orthodoxorum omnium à primis vsque Apostolorum diebus, auctoritate conformi,& sacrosancta,hanc ordinariæ successionis proprietatem cõfirmatam reddam : sin ab orthodoxorum vnanimi consensu resilire velint, satis me obtinuisse credam, vt ea Catholicis vindicata Ecclesia, quæ ab Apostolis fundata, post illos, alios sanctos dei homines martyres, doctores, confessores, serie continuata succedẽtes gremio suo nutriuit: ab illis quãuis aliã ab hac seiunctã vsurpari liberè permittã.Quasi ergo hęc lex & cõditio esset,tu modo vide, an ad vniformẽ doctorũ cõsensum euincet dum sufficiens hic eorumdem catalogus videri possit : præsertim quando qui contradicat, imo qui non vnum idémque sentiat, ne vnus quidem à Christo passo deprehenditur. Irenæus Apostolorum temporibus proximus tantus támque multus in hac proprietate, eiúsque necessitate ostendenda est, vt nesciam hercle quod primum ex illius scriptis testimonium proferam. Is igitur libr.3. cap. 3. præterquam quod, à Petro ad eum qui tũc Romanæ sedi præerat, Episcoporum seriem pertexit insuper clara hæc de successione verba habet. Agnitio vera est Apostolorum doctrina &

Socr.lib. 5.cap.10.

Irenæus.

antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mūndo, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt: quæ peruenit ad alios custodita.

Tertul. de præscriptione hæretic.

Post hunc Tertulianus, cupio (inquit) ostendant mihi ex qua auctoritate prodierunt: edant originem Ecclesiarum suarum: euoluant ordi-
„ nem Episcoporum ita per successiones ab ini-
„ tio decurrentem, vt primus ille Episcopus ali-
„ quem ex Apostolis, vel Apostolicis viris (qui
„ tamen cum Apostolis perseuerauerit) habuerit
„ authorem, & antecessorem. Et coæuus illi ferè

Origenes.

Origenes: cum multi sint (inquit) qui se putent
„ sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum di-
„ uersa à prioribus sentiant: seruetur verò Eccle-
„ siastica prædicatio per successionis ordinem: ab
„ Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Eccle-
„ siis permanens. Illa sola credenda est veritas
„ quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat tradi-

Cyprianus.

tione. In Cypriano qui gloriosus martyr pro mille testibus vnus sufficiens iudicari potest, testimonia plurima leguntur, ad hanc Apostolicam Episcoporum successionē euincendam, cùm verborum pondere, tum etiam sententiarum grauitate, longe potentissima. Quale hoc vnum in libro de Simplicitate Prælatorum ex-
„ tat. Hi sunt (inquit) qui se vltro apud temera-
„ rios conuenas sine dispositione diuina præfi-
„ ciunt: qui se præpositos sine vlla ordinatio-
„ nis lege constituerunt: qui nemine Episcopa-
„ tum dante Episcopi nomen assumunt: Tales e-
„ tiam si occisi in confessione nominis fuerint,

macula iſta diſcordiæ inexpiabilis nec ſanguine abluitur, nec paſſione purgatur. Item arma ille contra Eccleſiam portat, hoſtis altaris, aduerſúſque ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſeruus, filius impius, frater inimicus, contemptis Epiſcopis & dei ſacerdotibus derelictis cōſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, dominicæ hoſtię veritatem per falſa ſacrificia prophanare: nec ſcire quoniam qui contra dei ordinationem nititur, ob temeritatis audaciā diuina animaduerſione punitur. His ſubſcribens Hieronimus ad Damaſum ſic loquitur: faceſſat (inquit) inuidia Romani culminis, recedat ambitio, cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor: ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatā Eccleſiam ſcio: quicunque extra hanc domū agnum comederit prophanus eſt. Et contra luciferianos præter multa alia: Breuem tibi apertámque animi mei ſententiam proferam, in illa eſſe Eccleſia permanendum quæ ab Apoſtolis fundata ad diem hanc durat. Leo Papa qui & idem ad conterendam & confringendam hæreticorum omnium in hoc capite contumaciam verè leo cenſeri poteſt, Sermone 2. Sic de ſede Petri, & de eiuſdem perpetua duratione loquitur: Soliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum principe eſt laudata, perpetua eſt. Et paulò poſt: ſicut itaque à nobis rectè agitur, rectéque decerni-

Hieronymus.

Leo Papa.

tur, ſiquid à miſericordia quotidianis ſupplicationibus obtinetur, illius eſt operum atque meritorum cuius in ſede ſua viuit poteſtas & excellit auctoritas, & quæ ſequuntur in eodem ſermone, & in 3. Itidem teſtimonia longè efficaciſſima de natali Petri & Pauli ſermone 2. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum & Eccleſiæ meæ cælo inſerenda ſublimitas in huius fidei firmitate conſurget. Optatus Mileuitanus de cathedra tãquam primo in Eccleſia ornamento, loquens, ſic ait.

Optatus.

„ Igitur negare non potes, ſcire te in vrbe Roma
„ Petro primo cathedram Epiſcopalem eſſe col-
„ latam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum
„ caput Petrus, in quo vno cathedræ vnitas ab
„ omnibus ſeruaretur, vt iam ſchiſmaticus eſſet,
„ qui contra ſingularem cathedram alteram col-
„ locaret. Ergo in cathedra vnica quæ eſt prima,
„ ſedet prior Petrus, cui ſucceſſit Linus & reliqui ordine vſque ad Siricium. Iam verò huic æqualis Auguſtinus, hanc notam vnam, & præcipuã libentiſſimè agnoſcit, non tantum ſeriem Epiſcoporum tanquam neceſſariam efflagitans. Sed ipſe etiã eandem contra Manichæos contexens. Sed hæc eius verba diſertiſſima eſſe præ

Auguſtinus.

„ cæteris videntur. Multa ſunt quæ me in Eccle-
„ ſiæ gremio iuſtiſſimè tenent, tenet conſenſio
„ populorum & gentium, tenet authoritas mi-
„ raculis inchoata, ſpe nutrita charitate aucta,
„ vetuſtate firmata. Tenet, ab ipſa ſede Apoſtoli
„ Petri, cui paſcendas oues ſuas dominus poſt re-
„ ſurrectionem ſuam cõmendauit, vſque ad præ-

ſentem Epiſcopatum, ſacerdotum ſucceſſio, à „ qua Dei ordinatione ſuccedanea qui deflectũt „ vel ſibimet ipſis, vel ſeipſos Epiſcopos conſti- „ tuentes, eos extra Eccleſiam eſſe alio quodam „ loco pronunciat. Et contra Fauſtum: Vides, in- „ quit, quid hac in re Eccleſiæ Catholicæ valeat „ authoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus „ Apoſtolorum vſque ad hodiernum diem ſuc- „ cedentium ſibi Epiſcoporum ſerie, & tot popu- „ lorum cõſenſione firmatur. Et paulò pòſt: quæ „ Apoſtolorum cõfirmata temporibus per Epi- „ ſcoporũ ſucceſſiones, & propagationes Eccle- „ ſiarum, tanquam in ſede quadam ſublimiter „ conſtituta eſt, cui ſeruiat omnis fidelis & pius „ intellectus. Audiuiſti egregiam primorum pa- „ trum, atque eam quidem vniformem ſenten- tiam, qua quid grauius, quid ſánctius, quid ad notandos nigro carbone eos omnes, qui citra legitimam ordinationem muneribus Eccleſiaſticis præficere ſe audent, diſertius? Quid denique ad eoſdem ne vltra hiſcere audeant conſtringendos, vehementius, potériúſque dici, aut excogitari poteſt? Iam tu videris an infra hos, alios qui ſuperioribus ſuccenturientur deſcriptos velis? Nam cùm idem ſentiant omnes, niſi forte longum eſſet in ſingulis percenſendis immorari, vel iuſtum catalogum eorum, qui vnquam in Eccleſia floruerunt pertexere difficile non fuerit. MIS. At ego minus neceſſe arbitror poſt tam claram, támque celebrem doctorum coronam alios tantò minores authoritate, quanto tempore poſteriores ſuperadde-

re. Quapropter donec vel hæc diluerint testimonia, vel totidē opposuerint aduersarij: probationis partibus in hac vltima confirmanda proprietate digne satis defunctus, meo quidem iudicio videberis. Veruntamen quid impedit quò aliis etiam satisfiat plenius, quod pro subterfugio ab ipsis captatur proponere. EPIS. Nihil sanè impedit, imo expedit magis, vt illud quale quale sit in mediū adferatur, quò si quid in eo sit quod contra ea quæ modo attuli, facere potest, id saluum ipsis & integrū maneat. Sin subterfugium inane & fallax verius, quàm tutum & certum refugium deprehendatur, potius in tempore repellatur, quam falsa salutis spe quenquam deludat. MIS. Id nimirum refugium est, quod frequentibus ministrorum sermonibus celebratum didici, Deum non ordinarios tantum ministros per quos Ecclesiam suam rebus adhuc integris gubernet, adhibere solere: sed eidē solemne esse, vt quoties Ecclesię res penitus turbatæ & labefactatæ in summam venerunt confusionem: toties extraordinario quodam mōdo viros arcano ipsius spiritu vocatos ad repurgandam Ecclesiā, & fundamenta de nouo iacienda ipse resuscitet. EPIS. Intelligo: id nēpe volunt viri sobrij propter summam rerū omnium in Catholica Ecclesia confusionem, spiritumsanctum ea relicta ad se confugisse, quo nouis denuo iactis apud eos Ecclesiæ fundamentis, ea quæ de propagando per vniuersas gentes Euangelio per Christum pronunciabātur, tandem adimplerētur: vt collapsa

Tritum subterfugium ministrorū ...uin. li. 4. c. 3. Instit. & ...onf... o de reformatione Ecclesiæ.

prius interiisse Ecclesia: núc denuò reparata, & restituta reuixisse credatur. MIS. Imò verò Euangelij libertatem & eiusdem veritatem, per quam Ecclesia viuit & viget: cum prius toto orbe exularet, certè vbique locorum oppressa imò sepulta iaceret: nunc magna Dei clementia rediuiuã mũdo redditam esse affirmare non dubitauit. EPIS. Si hæc illorum oratio ab ipsis solis esset profecta, aut eorum etiam propria, adhibenda mihi opera esset, vti exquisitis ea argumentis confutaretur. Nunc verò quãdo eornm omnium qui ab Ecclesia se vnquã separarũt communis est, maximè verò à Donatistis contra Ecclesiam tempore Augustini obtrusa: aliud nihil quò ea refellatur adferendũ esse censeo, quã quod in eadẽ causa Donatistis Augustinus reiecerat. MIS. Quidnã illud? mirari namque satis non possum, sic homines temporibus & locis disiunctissimos conspirare, vt quę à nostris hoĩbus hodie dicũtur, omnia in superiorum hominũ rationem causámq; incidãt. Sic enim clarè cernitᷓ, ipsam, quã tãtopere iactitãt, Euangelij puritatẽ, aliud nihil esse q̃ priscis hæreticis excogitatã hæresim, quæ dãnata olim ab Ecclesia, & diu profligata, nũc denuò suscitata, & ad turbandã Ecclesiam Sathanę astu inuecta fuerit. EPIS. Ista alij viderint: Interim quod quæris sic se habet. August. post alias calũnias postremam hanc remouens ad eam legem, & conditionem Donatistas reuocat, quæ ex ipsorum sententia (modo sibi constare voluissentᷓ) æquissima meritò videri poterat. Nam cum

Idem à donatistis captatum subterfugium.

Donatistis & nostris hæreticis cõmunis oratio.

nullam vllis fidem nisi expressum Dei verbum adferentibus haberi debere apertè dictitent: eandem quam aliis ponunt legem vt ipsi perferant dari sibi postulat. Tum autem ex quo librorum diuinorum canone legant aut proferre possint illud de iaciendis denuo Ecclesiæ fundamentis prius collapsis iterum atque iterũ interrogat. Idem si ab his nostris petatur, quid primò eos respõsuros putas? an in hoc vno capite fidem à Dei verbo minime petendam, & ipsis modò vera esse quæ dicunt affirmantibus credendum esse? At hoc cùm contra primum eorum placitum apertè pugnet, reliquam omnem doctrinam quæ eidem superstruitur penitus euertit. An verò in sacra pagina se habere vnde noua illa prædictio, & hactenus mundo inaudita probari possit? At nusquam inuenio. Quippe semen illud bonum quod in terram bonam proiectum fuit, ad messem vsque, quàm Christus ipse finem sæculi interpretatur, fructũ suum daturum, durabit teste ipso Apostolo ad Collocenses .1. Si autem neque sibi credi citra verbi diuini authoritatem æquum esse dicere possunt: neque quo dicta confirment, in verbo inueniunt: quid reliquum est, nisi vt excogitatum à seipsis commentum, totum hoc eorum refugium credatur? Consentanea tu quidem loqueris, nec quod regeram in promptu habeo. Nam si qui alij certè nostri homines in verbo mordicus insistendum esse, nec quicquam nisi verbo confirmatum in religione doceri stabiliriue posse palam pronunciant: adeo

deo vt Auguſtinum in pleriſque aliis vix ac ne vix quidẽ ſequentes, eius tamen hanc vocem, quia ipſe credi ſibi vetat, niſi pro ſe verbum adferenti mirificè efferant: eam demum doctore Chriſtiano dignam vocem eſſe dicentes. Deinde quantum memini neque ex ipſis teſtimonium vllum, quo iſta illorum ſententia confirmetur, citatum vnquam audiui: neque vbi locorum in ſacris literis inueniri Prophetia talis poſſit ipſe intelligo, quæ Eccleſiam vnam illius quam ab Apoſtolis plantatam periiſſe dicunt loco, ſuſcitandam fore pronunciet. Cæterum ſi Auguſtini ipſius verba in medium proferas, non parum & te ab omni crimine adeoque ſuſpicione falſi liberabis, & me interim dum verba recitãtur mecũ ſingula ponderantem ad inueniẽdum aliquid (ſiquid forte reſpõderi poteſt) excitabis. EPIS. Si id tibi cordi eſt verba ipſa Auguſtini vti audias, ecce ſic accipe. Niſi forte (inquit) hoc reſtat hominũ inſaniæ, vt dicãt non ex illis Eccleſiis quæ fundatæ ſunt per Apoſtolorũ labores adimpleri prædicationem Euangelij in omnibus gentibus: ſed illis pereũtibus, & earum reparationem ex Aphrica per partem Donati & reſiduarum gẽtium acquiſitionem. Puto etiam quod ipſi rideant, cùm hoc audiunt, & tamen niſi hoc dicant (quod erubeſcunt ſi dicant) non habent omnino quod dicant, ſed quid ad nos? nemini inuidemus. Legant nobis hoc de ſcripturis ſacris & credimus. Hoc inquã ex canone diuinorũ librorũ legãt. Tot ciuitates quæ vſq; in hodiernũ diẽ ba-

Reſponſio ex Auguſtino de vnitate Eccleſia.

" ptiſmũ per Apoſtolos ſibi conſignatũ tenuerũt
" propter Aphrorum ſibi incognita crimina pe-
" riiſſe à fide Chriſti,& denuo baptizádos à parte
" Donati, atque inde cæteris gentibus, quę non-
" dum audierunt prædicandum Euangelium:
" hoc nobis legant, quid morantur? quid impe-
" diunt ſalutem gentium? legant hoc, & cum ipſa
" lectione nouos Apoſtolos mittant ad tot gen-
tes baptizandas,& ad reſiduas baptizãdas, &c.
Hactenus verba Auguſtini audiuiſti, in quibus
nũ vnam & eãdem Donatiſtarum ſententiam,
atque proteſtantium noſtrorũ eodemque mo-
do redarguat Auguſtin⁹, quo modo nuper ego
hanc illorum impugnaui,tuo permitto iudicio.
MIS. Non poſſum etiam ſi quàm maximè vel-
lem aliter dicere, quin vna eadémque ſenten-
tia eodem inſuper modo vtrinque impugnata
fuerit. Sed neſcio quo pacto ex vno, mox aliud
mihi in mentem veniat: quod tamen num hoc
loco proponendum ſit,ſubdubito. Quanquam
enim ad continuæ ſucceſſionis caput pertineat,
& ex eodem deriuetur, quod de ipſorum pau-
citate ſimul & infirmitate humanæ naturæ ad-
uerſarij adferunt: tamen vtrunque argumen-
tum non minus aptè contra Eccleſiæ vniuerſa-
litatẽ prius per te concluſam & determinatam
ſeruire poſſe videtur. EPIS. Ne metue qua-
ſi extra ſuum locum ea ſis poſiturus. Nam ſi ad
rem quam agimus ſpectantia proteſtantium
cauſam à cauſa Donatiſtarum (dum vtrique ſe
ab Eccleſia vera ſepararunt): ſeiungere valeant
nullus non locus aptus & proprius eſſe meritò

videbitur. Tu modo quæ ea sint quę ab ipsis obiici solita male te habeant, aut scrupulum aliquem tibi iniiciant paucis expone. MIS. Dicam hercle quod sentio, plausibilem admodum eam videri illorum rationem, quæ ab imbecillitate corruptę naturæ desumpta, hominem in nullo bono proposito diu perstare posse ostendit: vt non ad impuritatem subinde delabatur. Quod si verum est quantò minus mirandum fuerit, si tot hominum ætatibus à puritate doctrinæ ad impuritatem, & à verbi veritate ad eiusdem corruptelã deflexerint. Deinde verò huic superaddunt argumento alia multa, quibus eiusdem probabilitatem specie quadam illustriorem reddant. Qualia sunt multorum sanctorum virorum à reliqua impiorum turba segregatorum exempla: vt de Noë, filiis eius, & nuribus in arca (reliquo pereunte mundo) seruatis, de Lotho è Sodomis liberato: de Abrahamo, & Iacobo inter innumeros Idololatras degentibus, & si qui forté alij in scripturis sacris commendationẽ meruerunt. Cum quibus postquam seipsos paucitatis nomine comparabunt, eandem istorum sanctorum virorum, & suam conditionem sortémque esse magna fiducia pronunciabunt. EPIS. At quam tu erres hoc argumentorum genus nunc primum excogitatum esse arbitratus, & illi simul fallantur, si ab istis piorum hominum exemplis defendi se posse sperent, tum primum apparebit, vbi ipsius Augustini verba, vtrumque argumentum tum à na-

Altera ratio nostris hæreticu & Donatistis cõmunis. de naturæ infirmitate.

3. ratio de paucitate.

naturæ infirmitate, tum à profitentium paucitate desumptum, refellentia, audita consideratáque fuerint. MIS. Age verò quando sic facilis promptúsque es audiamus sane. Turpe enim fuerit languere vel te repetentem, vel me audientem ea quæ tantum virum scribere minime tædebat, præsertim si ad eam rem, quam quærimus, lucis aliquid adferre ipsius scripta possunt. EPIS. Ne dubites non lucem modo adferri, sed ipsam quæstionis veritatem penitus ex illius viri scriptis euinci posse. Verum cùm ad omnia comprehendenda memoria minus sufficiat, vno Epiphonemate contenti erimus, ex quo tamẽ de reliquis omnibus scriptis eiusdem materiæ & argumenti, iudicium non minus facile quàm certũ facere licebit. Postquam enim Prophetarum & ipsius Christi testimonia cùm de Ecclesiæ amplitudine, tũ de æterna duratione in medium protulit, sic tandem rethorico hoc epiphonemate repetitionẽ claudit: Ite nunc Donatistæ & clamate. Non fiat. Non fiat. Vicit vos verbũ Dei, dicens: fiat fiat. Ecce manifesta est in Psalmis Ecclesia toto orbe diffusa, supra quam requiescit gloria regis eius, vnde & ipsa regina est sponsa eius de qua dicitur in 44. Psalmo: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate. Et ad eam ipsam exhortandam continuo diuinus sermo dirigitur: Audi filia & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, quoniam concupiscit rex decorem tuum, quia ipse est Deus. Attẽdite vnde

inceperit diuina prophetia alloqui sponsam "Christi? Audi (inquit) filia & vide. Vos autem "nec audire vultus hæc prædicta, nec videre cō- "pleta, & tamen audistis & vidistis inuiti. Audite "ergo quid paulo post ei dicitur. Audite hoc ex "pagina diuina quo modo pronuncietis, & vi- "dere in omni terra quomodo compleatur. Pro "patribus tuis (inquit) nati sunt tibi filij consti- "tues eos principes super omnem terram, quàm "multa prætercam de hac re testimonia scriptu- "rarum norunt qui legunt, & ego noui, sed one- "rare Epistolam nolo, cui responderi flagito? "Quid ad hæc dicturi sunt quæ commemoraui "ex lege Prophetis & Psalmis de Christi Eccle- "sia, quæ toto orbe diffunditur, cui malunt re- "pugnare peruersi, quàm communicare corre- "cti? Quid inquam dicturi sunt? vtrum hæc falsa "esse, an obscura, sed falsa esse non audent dice- "re. Premuntur enim tantæ authoritatis mole. "Hæc ergo vera esse cum fateantur, impleri non "posse contendunt: quasi aliud esset prophe- "tiā crimine falsitatis arguere, quàm dicere quæ "prænunciantur nō posse compleri. hoc est eam "dicere non posse prophetiam, sed pseudopro- "phetiam potius. Et cum quæsieris ab iis cur "hæc impleri non possint, respondent, quia ho- "mines nolunt. Cum arbitrio homo libero crea- "tus est, si vult credit in Christum, si non vult, "non credit: si vult perseuerat in eo, quod cre- "dit, si non vult non perseuerat. Et ideo cum "cœpisset per orbem terrarum crescere Ecclesia "noluerunt homines perseuerare, & defecit ex "

" omnibus gentibus Christiana Religio excepta
" parte Donati. Quasi verò nescierit spiritus dei,
" futuras hominum voluntates: quis hoc insanis-
" simus dixerit? Cur ergo non hoc potius pro-
" nunciauit quod de voluntatibus hominũ scie-
" bat futurum. Hoc enim modo quo isti putant
" ista esse prædicta quisquis voluerit potest esse
" propheta, vt cum ea quæ prædixerit, impleta
" non fuerint, respondeat: homines noluerunt.
" Libero enim arbitrio Christiani sunt. Hoc mo-
" do poterat aliquis prophetare Christum non
" in cruce passurum, sed gladio moriturum, vt
" cum aliter factum esset, responderet: quid ego
" feci? homines in libero arbitrio constituti no-
" luerunt ei facere quod ego prædixeram, & hoc
" fecerunt quod ipsi voluerunt. Iam cui non
" occurrat quam multa isto modo poterant pro-
" phetari, vel etiam possint à quibuslibet homi-
" nibus? Quis enim dubitauerit quod Iudas
" Christum si voluisset, non vtique tradidisset, &
" Petrus si voluisset, ter dominum non negasset?
" Sed ideo fuit de istis certa prædictio, quia &
" deus etiam futuras præuidit voluntates. Huc
vsque Augustini verba recensui, ex quibus nisi
fallor, nõ solum eam demum veram Ecclesiam
esse constat, quæ initio à Hierusalem ducto, in
vniuersum deinceps orbem propagata fuit: sed
eos insuper omnes qui interruptionis causam
in corruptã naturam transcribũt, vnum idém-
que cum Donatistis & dicere, & sentire claro
clarius apparere potest. MIS. Diceres tu
quidem aliquid quodad rem quam quærimus
illustrandam

ſtrandam & docendam commodè pertinere videretur, ſi quę Donatiſtarum eadem noſtrorum hominum ratio eſſet. Nunc verò longè diſpar & diſſimilis amborum conditio deprehēditur. Neque enim particularis cuiuſdā Eccleſiæ, aut ſectæ alicuius abreptæ: ſed vniuerſalis Eccleſiæ nomen, ea quæ proteſtantium hodie eſt ſibi vēdicat. Deinde tantum abeſt, vt libero arbitrio cauſam non propagatæ per vniuerſum orbem Eccleſiæ, aut etiam in finem vſque mundi eius minimè durantis, adſcribant: vt idem prorſus è medio tollant. EPIS. Si Donatiſtas non vniuerſalis Eccleſiæ titulum ſibi vendicaſſe credis, toto erras cœlo: nullos quippe alios niſi qui in parte Donati eſſent, in Eccleſia locum habere, aut ſalutem per Chriſtum ſperare poſſe audacter affirmabant. Id quod pari animoſitate cum à noſtris hominibus fiat, neſcio qua ratione alteri ab alteris hoc nomine diſiungi debeant: præſertim quando vtrique reliquū Eccleſiæ corpus putrefactum & emortuum eſſe dicentes, ab eo vltrò ſe remouerunt. Cęterum quamuis in eo proteſtantes à Donatiſtis diſcrepare videntur, quòd liberum arbitrium damnent: tamen cùm ſimilis (ſi non eadem prorſus) reſponſio ſit, conditio profectò vtrorúmque diſſimilis cenſeri non debet. Quam autem ſit ſimilis amborum ratio, neque tu intelligere, neque ego explicare facilius poſſum: quā ſi vtraque propoſita, vnam ad alteram componamus. Atque quid Donatiſtæ ſenſerint, quidque interrogati reſpōderint, prius audiuiſti: vt nihil

nunc quo res omnis clara reddatur, sit reliquũ: quàm vt Donatistarum loco protestãtes pro se rationẽ reddituri sufficiantur. MIS. Age igitur & Augustinũ imitatus hãc personam quam potes viriliter sustine. Cõsentaneũ enim est, vt qui duas inter se partes cõparare velit, is vtriusque rationes perspectas probe habeat. EPIS. In eo primũ conuenit inter vtrosque, & Donatistas & Protestantes, nondum adimpleta esse ea quæ de Euangelio ad omnes gentes propagando, à Christo prænunciabantur. Causam verò interrogati paulo diuersam, sed in eundem finem tẽdẽtem, hi quam illi adferunt: nimirũ eam communem naturæ pestem & corruptionẽ in homine esse dicunt, quæ sui semper amans vix ad breuissimũ tẽporis spatium in puro Dei cultu perstare possit: quin ad sua propria hoc est peruersa, & contra Deũ impia commenta relabatur. In quæ dũ prono impetu defertur homo, illud solum sanctũ, & Deo placens arbitratus, quod ipse citra Dei verbũ cõminiscitur, tãdem in totum à Deo deficit: nec in Ecclesia amplius vera, sed ea tantum quę malignantiũ dicitur cẽseri debet. Is status cùm veteris Ecclesiæ paulatim ab Euãgelij puritate recedentis fuerit: non tam quod nõ voluerint, quàm quod propter infirmitatẽ naturæ nõ potuerint homines facere ea, quę olim prænũciata sunt, nõ esse omino eadã perimpleta est statuendum. Audis rationẽ vt non prorsus eandẽ, sic quando in idẽ recidit nõ valde dissimilẽ. Quod enim perfectũ minime esse fatentur ambo, eius causam priores, in liberũ

hominis perimplere prædicta nolentis, arbitrium: posteriores autem in corruptam eiusdem hominis in puritate religionis perstare non valentis, naturam transcribunt. Hic verò si nouus aliquis nobis in vitam rediret Augustinus, an non quo sermone priores eodem, & posteriores excepturum eum credis? vt iisdem prope verbis, aut etiam acerbioribus maiorem in his, quam in illis vecordiam coarguat. Itane (inquiens) propter infirmam hominum naturā promissa domini irrita reddētur? quasi verò nesciérit spiritus dei futurā hominū corruptionē: quis hoc insanissimus dixerit? cur hoc ergo nō prænunciauit, quod de hominū infirma, & corrupta natura sciebat esse futurū? Hoc enim modo quo isti putent hæc esse prędicta, quisquis voluerit potuerit esse Propheta: vt cùm ea quæ prædixerit impleta non fuerint, respondeat in causa fuisse corruptā hominis naturā, qua quod prædictum erat, & promissum perimplere non poterat. Hoc modo poterat aliquis Prophetare Christum nō in cruce passurum, sed gladio moriturū: vt cū aliter factū esset responderet. Quid ego feci homines naturæ vitio laborantes non potuerūt ei facere quod prędixerā, & hoc fecerunt, quod per corruptā ipsorum naturā facere potuerant. Hoc modo prophetare aliquis poterat spiritum Dei cælitus demissum fideliū corda nunquā inhabitaturū. Vt cum sic dixerit respōderet corruptam, & fœdatā hominis naturam spiritus diuini minime capacē fuisse: hoc deniq; modo vel à quibuslibet quiduis poterit pro-

Responsio ex Augustini verbis prius citatis.

phetari. Huc vsque ex verbis Augustini priori protestantiũ argumento respondisse abũde satis mihi videor, quã eandẽ responsionẽ paucioribus quidẽ, sed nihilominus pungentibus Optati Mileuitani verbis retexere, sic denuò possumus. Vt quid tale patris infringitis promissũ, vt à vobis mittatur, quasi in quẽdam carcerem latitudo regnorum, vt à vobis successionis lõgitudo in finem vsque mũdi Christo ipso pronunciante duratura inter punctionibus rumpatur, missóq; in exiliũ quoties visum fuerit spiritu sancto Ecclesiam eã cui perpetuo præsidet, totã deficere fingatis? Quid tãtam in ipsum Dei spiritũ impietatem designatis? Quid tantæ pietati obstare contẽditis? Quid contra saluatoris merita militatis? quid Deũ patrẽ, Deũ filium, Deũ spiritũ sanctum falsitatis coarguitis? Permittite filiũ possidere concessa: permittite patrem promissa perimplere: permittite spiritũ sanctũ ad finem vsque mũdi delegatas partes fortiter obire. Cur ponitis metas? cur figitis limites? sed nimis forsitan vrgeo: & certe grauiores hæ personæ sunt, quàm vt eas vel ego cum dignitate sustinere, vel iisdem illi vnquam respondere possint. Et proinde si à legitima duarum partiũ comparatione abunde priori argumento à naturæ infirmitate desumpto, non tam meis quàm Augustini, & Optati verbis satisfactum esse existimas, ad secundam transeamus.

Eadẽ rursus ex Optat. lib. 2.

MIS. Vt quod verum est fatear, Augustini verba vtrinque pari numero relata audio: præterquam quod liberi arbitrij (quod Donatistæ

prætendebant) loco, corrupta hominum natura à protestantibus substituatur. Ac ob id quasi priori scrupulo, qui me male habuit, penitus sublato, ad secundum te confer : illum siquidem potes, ex eiusdem Augustini verbis (vti promisisti) exempturus. EPIS. Postquã ex Dei verbo id Anathema esse debere docuit, quod quis Euãgelizaret diuersũ ab eo, quod Apostolicis literis esset proditum: mox hæc ad verbum in præfato opere subiicit. Aliud autem qui periisse dicit, de cætero mundo Ecclesiam, & in parte Donati in sola Aphrica remansisse dicit. Ergo Anathema sit, aut legat mihi in scripturis sanctis, & non sit Anathema. Lego, inquit : nam Enoch vnus inter omnes homines placuit deo, & translatus est. Postea toto mundo aquarum inundatione deleto, solus Noë cum coniuge, filiis, & nuribus suis in arca meruit liberari. Adiungunt etiam de Loth, quòd solus cum filiabus è Sodomis leberarus sit. De ipso quoque Abraham, Isaac, & Iacob quòd pauci fuerunt deo placentes cæteri Idolis dediti, & dæmonibus. Postremo iam multiplicato populo Israel, iam temporibus regum in terra promissionis, quæ fuerat omnibus duodecim tribubus distributa, commemorat decem tribus diuisas, & traditas Seruo Salomonis ad regnũ quod erat in Hierusalem. Sic & nunc (inquiunt) totus mundus apostatauit, nos autem tanquam duæ illæ tribus in tẽplo Dei, hoc est, in Ecclesia permãsimus. Dominum etiam Iesum Christũ cũ plurimi sequerẽtur sep-

Responsio ex eodem Aug. ad argumentum de paucitate.

tuaginta duobus Apostatantibus soli cum illo duodecim remanserũt. Hactenus ex Augustino commemorata aduersariorum exẽpla sunt: quæ si eadẽ describantur necne, tu iudica. MIS. Eadem sane prorsus paulóq; plura, quàm ab ipsis prolata meminisse poterã. EPIS. Vicissim igitur quo ille modo respõdeat, aduerte. Sic enim suis ille verbis nõ tantum Donatistis, sed protestantibus eadẽ adferentibus abunde satisfaciet.

„ His (inquit) atq; huiusmodi exẽplis hæretici suã „ paucitatem cõmendare conantur, & in sanctæ „ Ecclesiæ multitudinẽ toto orbe diffusam blas- „ phemare non cessant: sed quæro ab iis (quod „ absit) si nollem credere vera esse ista quæ ab eis „ commemorantur exempla, vnde me conuince- „ rent? nonne de scripturis sanctis, vbi leguntur „ tanta manifestatione vt quisquis illas literas „ in fidem recipit, non possit nisi & ista verissima „ confiteri. Porro si hæc exempla ideo cogerer „ credere vera esse, quia ibi scripta sunt: Cur non „ & ipsi de Ecclesia toto orbe diffusa eisdem scri- „ pturis credunt? Ecce nos illa omnia credimus, „ credant & ipsi quod ait dominus prædicari in „ nomine suo potentiam, & remissionem pec- „ catorum per omnes gentes, incipientibus ab „ Hierusalem: & in tota Iudæa & Samaria, & vs- „ que in totam terram. Et illa, & ista vera esse cre- „ dantur, & nulla inter nos contentio remanebit: „ quia nec illis veris ista, nec istis veris illa impe- „ diũtur. Et ista (inquiunt) credimus, & cõpleta es- „ se confitemur. Sed postea orbis terrarum apo- „ statauit, & sola remansit Donati communio.

Hoc nobis legant ſicut & legunt de Enoch, de "
Noë, de Abraham, Iſaac, & Iacob, & de illis "
duabus tribubus quæ ſeparatis decem reliquæ "
factæ ſunt, & de duodecim Apoſtolis, qui cæ- "
teris apoſtatantibus remanſerunt: & hoc ſimi- "
liter legant, & nihil reſiſtimus. Si autem non "
ea de ſcripturis ſanctis legant, ſed ſuis cōten- "
tionibus perſuadere conantur, credo illa quæ "
in ſcripturis ſanctis leguntur, non credo iſta "
quæ ab hæreticis vanis dicuntur. Audiuiſti ea quæ Donatiſtis ſui temporis memorata prius abs te exempla, pro ſe & paucitate ſua adferentibus reſpondet Auguſtinus: de quibus dic quæſo quid ſentias. MIS. Ea meo quidem iudicio, ſic proprie aptéque dicta, & ad propoſitum accommodata ſunt: vt ſi Auguſtini tantum, & Donatiſtarū nomina ſupprimantur: nō illo tempore ab Auguſtino, ſed ab aliquo huius ſæculi Catholico prolata videri poſſent. Quapropter quādo in quatuor proprietatibus (quas præmittendas duxiſti) docēdis, laboratum ſatis eſt diu: iiſdem veluti abunde cōmonſtratis, ad quæſtionē quam initio propoſuimus cōcludēdam, vt libet per me licet vtaris. EPIS. At quomodo notis his quas à teſtib⁹ fide dignis Eccleſiç verç natiuas eſſe intellexim⁹, rectius vtemur, quàm vt eas in vnū quaſi corpus cōpingamus: quò eidem tandem reliquus totus ornatus ſuperindui poſſit: Sic enim, & de internis notis, & externo toto apparatu admoniti, de vera Eccleſia non tantum certum indicium habituri: ſed propter obuias cuique notas facilem

etiam eius inquirendæ viam ingressuri sumus. Eum ego Ecclesiæ externum apparatum, si diuersorum diuersis testimoniis vti liberet, perpulchrum & splendidum tibi darem. Nunc verò quò tunicam illam Christi inconsutilem magis referat, non ex diuersis diuersorum quasi Centonibus cõpactum, sed vnius Epiphanij opera egregie elaboratũ eundem exhibebo. Is enim Ecclesiæ veræ quã Reginã nuncupat charactere, aut externũ torũ apparatum per quem dignosci, & ab innumeris iuuẽculis (quas παλλακὰς Græca voce dicit) ipsa interstingui possit, his talibus verbis effert: Primũ quidẽ velut crepido, & (vt ita dicã) fundamentũ in ipsa est virginitas: quæ exercetur, & seruatur à multis, & glorificatur. Sequitur autẽ ad eandẽ virginitatẽ solitudo, apud pleròsq; vtriusque sexus solitariã vitam degentes. Post hãc continentia super eundem cursum fundata: postea viduitas cũ omni attentione & impolita cõuersatione. Post hos verò ordines consequuntur nuptiæ venerandę, præsertim in vnis nuptiis permanentes, & in obseruatione mandatorum. Si verò quis mortua vxore ipsius, aut mortuo viro alicuius vxoris, cupit secundæ aut secundo copulari: post mortem prioris. Vertex autem horum omnium aut mater (vt ita dicam) genitrix, est sanctum sacerdotium ex virginibus quidem, vt plurimum procedens: Si verò non ex virginibus, at ex solitariam vitam degentibus. Si verò non suffecerint ad ministerium ex solitariam vitã degentibus, de his qui cõtinent

Epiphanius li. 3. cõtra hæreses.

κρηπὶς Græcè.

à propriis vxoribus,aut ab vnis nuptiis viduitatem seruantibus.Nam eũ qui secundas nuptias contraxit, non licet in ipsa ad sacerdotium suscipere: etiam si is qui ab initio continens viduus fuerit, possit habere locum Episcopi, & presbyteri,& diaconi & subdiaconi. Post hoc sacerdotiũ deinceps est lectorũ ordo ex oĩbus ordinibus constans, hoc est, virginibus,& solitariam vitam degentibus,& continentibus, & viduis,& his qui sunt adhuc in venerando coniugio. Si verò fuerit opus, etiam ex iis qui post obitum primæ vxoris secundam duxerũt. Non enim est sacerdos ipse lector, sed velut scriba sermonis. Sed & diaconissæ constituuntur in ministerium mulierum solùm,propter reuerentiã si opus fuerit balnæi, gratia aut visitationis, & inspectionis corporum. Et ipsæ sunt etiam quæ in vnis nuptiis continenter se habuerint, aut ab vnis nuptiis viduitatem seruarint, aut semper virgines sint. Deinde consequenter ab his sunt Exorcistæ, siue Eiuratores, & linguæ interpretes in linguam, siue in locutionib9,siue in colloquiis. Deinde laboratores qui corpora eorum qui obdormierunt obuoluunt,ac cooperiunt, & ianitores,& tota boni ordinis disciplina. Communiones autem siue Synaxes fieri ordinatæ sunt, ab Apostolis, quarta & prosabbato & dominica. Quarta verò & prosabbato ieiuniũ statutum est vsque ad horã nonã. Nam illucescente quarta conceptus est dominus. Et prosabbato crucifixus est. Et tradiderunt Apostoli, vt in his diebus ieiunia fierent, ita vt im-

„ pleatur dictum hoc, cum ablatus fuerit ab ip-
„ sis sponsus tunc ieiunabunt in illis diebus, & nõ
„ vt gratiam, aut beneficium exhibeamus ei qui
„ pro nobis passus est, ieiunium nobis constitu-
„ tum est: sed vt confiteamur ad nostram salutem
„ Domini passionem, quam pro nobis ipsis su-
„ scepit, & vt pro peccatis nostris ieiunia nobis
„ apud Deum supputentur. Et per totũ quidem
„ annũ ieiunium obseruatur in eadẽ sancta Ca-
„ tholica Ecclesia: quarta (inquã) & prosabbato
„ vsq; ad horã nonã, excepta sola Pentecoste per
„ totos quinquaginta dies, in quib⁹ neque genua
„ flectantur, neque ieiunium imperatum est. Cæ-
„ terũ pro communionibus quæ quarta & pro-
„ sabbato ad horam nonã fiunt: in die dominica
„ matutinis horis cõmuniones fiũt. Insuper verò
„ in quinquaginta diebus Pentecostes, de quibus
„ dixi, non est ieiuniũ, neque in die Epiphaniorũ,
„ hoc est, apparitionis & aduentus, quando natus
„ est in carne dominus ieiunare etiã licet, si con-
„ tingat vt sit quarta aut prosabbatum. Verum ex
„ bono proposito pietatis exercitatores in ipsa
„ Ecclesia semper ieiunant, excepta dominica &
„ Pentecoste, semper item vigilias agunt. At verò
„ dominicas oẽs delicatas ducit sancta hæc Ca-
„ tholica Ecclesia. Et cõmuniones mane perficit
„ & non ieiunant. Inconsentaneũ enim est in do-
„ minica ieiunare. Porrò quadragesimã ante se-
„ ptem dies Paschatis similiter seruare solet eadẽ
„ Ecclesia, in ieiuniis perseuerãs. Dominicis vero
„ non neque in ipsa quadragesima. Cæterum per
„ sex dies ipsius Paschatis omnes populi in sic-

corum eſu perſeuerant, pane, inquam, ſale, & ,,
aqua tunc vtentes ad veſperam. Sed & pietatis ,,
ſtudioſi duplas & triplas, & quadruplas, tranſ- ,,
mittunt, & aliqui totam hebdomadam vſque ,,
ad gallicinium dominicæ illuceſcentis. Vigilias ,,
autem agunt per ſex. Rurſus verò communio- ,,
nes perficiunt per eaſdem ſex dies, & totam ,,
quadrageſimam à nona vſque ad veſperam. In ,,
quibuſdam verò locis quintam ſolum illu- ,,
ceſcentem vigilant in proſabbatum, ac domi- ,,
nicum. In aliis autem locis cultus diuinus di- ,,
ſpēſationis myſterij in quinta fit hora nona. Et ,,
ſic ceſſat permanentibus ipſis in eodem ſicco- ,,
rum eſu. In aliis rurſus locis non offertur ſacri- ,,
ficium Corporis Chriſti niſi ſolum illuceſcente ,,
dominica, quando ipſos dimittit circa galli- ,,
cinium in reſurrectionis die, ac feſtiuitate, ma- ,,
gna illa dies Paſchatis, veluti ſtatutum eſt. At ,,
verò alia myſteria de lauacro, & internis my- ,,
ſteriis, velut habet traditio, & Euangelij, & ,,
Apoſtolorum ita perficiuntur. In iis autem qui ,,
vita functi ſunt, ex nomine memorias faciunt, ,,
orationes ad Deum perficientes, & Miſſas ſiue ,,
Sacrificia. Matutini etiam hymni in ipſa ſancta ,,
Eccleſia perpetuo fiunt, & orationes matutinę, ,,
lucernaleſque, ſimul Pſalmi ac orationes. Qui- ,,
dam verò ex ſolitariam vitam degentibus in ip- ,,
ipſa Eccleſia, habitāt in ciuitatibus: aliqui verò ,,
in monaſteriis deſidēt, & ꝓcul ſecedūt. Placuit ,,
autē quibuſdā etiā capillos nutrire, honeſtè vi- ,,
delicet vitæ gratia, ex proptio mētis propoſito, ,,
nō ex euāgelij præcepto, neq; ex Apoſtolorum ,,

,, traditione. Nã sanctus Apost. Paul. hũc habitũ
,, amputauit. Sũt pæterea aliæ preeminẽtes vitæ
,, cõuersationes, quæ in eadem sancta Catholica
,, Ecclesia seruantur, eorum, inquam, qui ab om-
,, nibus carnibus abstinent, quadrupedibúsque,
,, & volatilibus, & piscibus, ouo item, & caseo, &
,, alia diuersa vitæ instituta. Nam vnusquisque se-
,, cundùm proprium laborem accipiet merce-
,, dem. Et quidam sanè abstinent ab omnibus his,
,, aliqui verò à quadrupedibus solum, volatilibus
,, verò & reliquis vescuntur. Alij verò à volucri-
,, bus abstinent, vtuntur autem ouis & piscibus.
,, Alij neque ouis vescũtur, alij piscibus solis. Alij
,, etiam à piscibus abstinent, caseo verò vescun-
,, tur, alij autẽ neq; caseum sumũt. Iam verò ad-
,, hũc alij etiam à pane abstinent: alij etiã ab ar-
,, borũ fructib' duris, & nucib', & à coctis. Multi
,, verò etiam humi dormiunt. Alij neque calcea-
,, menta induunt. Alij saccum gestant occultum,
,, qui videlicet recte gestant propter virtutem &
,, pœnitentiam. Indecorum enim est, in conspi-
,, cuo sacco prodire, quemadmodum aliqui fa-
,, ciunt. Indecorũ est item (velut dixi) in vinculis
,, prodire, velut quibusdam visum est. Plerique
,, autem à balneo abstinent, & quidam vitæ re-
,, nunciarunt, artésque tenues, & nullius negotij
,, sibi ipsis excogitarunt, vt ne otiosam vitam de-
,, gant, neque panem grauatum comedãt. Ple-
,, riq; verò in Psalmodiis, & assiduis orationib',
,, lectionibúsque sacrarum scripturarum & seces-
,, sibus exercentur. Cæterum de hospitalitate, &
,, benignitate erga homines eleemosinísque, in

omnes huius ſanctæ Catholicæ & Apcſtolicæ,„ Eccleſiæ,fructus omnib⁹ prędictus eſt.At verò,„ lauachrum habet pro inueterata circuncifione„ in Chriſto.Quieſcit in magno ſabbato,abſtinet,„ á ſocietate omnium hęreſeon,reprobat omnes,„ ſcortationes, & adulteria, & petulātiā, ac ido „ lolatriam & cædem & omnem iniquitatem &,„ magiam, & veneficium, aſtronomiā, vaticina-„ tiones,threnorum obſeruationes, incantatio-„ nes,amuleta quæ appēduntur,aut alligantur,&„ philacteria quoque appellantur:prohibet thea-„ tra & ludos equeſtres & venationem, muſicos,„ item, & omnem maledicentiam,ac detractio-„ nem,& omnem pugnam, & blaſphemiam,in-„ iuſtitiámque,ac auaritiam,& vſuram.Negotia-„ tores non recipit,ſed inferiores omnibus dicit.„ Oblationes accipit à non iniuſtis,neque iniquè,„ agentibus,ſed à iuſtè viuētibus. Preces aſſiduè„ imperat,cum omni ſedulitate,ac prolixitate,&„ geniculatione in ordinatis diebus, noctu ac in-„ terdiu ad Deum effundere. In quibuſdam au-„ tem locis etiam in Sabbatis communiones fa-„ ciunt,non vbique autem,ſed apud Acremonas,„ ſeruatur ac cauetur, vt ne quis omnino iuret,„ neque conuicietur, neque deteſtetur ex præce-„ pto ipſius Saluatoris.Et vt neque quis mentia-„ tur, quantum eius fieri poteſt. Pleiique enim„ vendunt bona ſua,ac poſſeſſiones,& dant pau-„ perib⁹. Hic eſt character & forma huius ſanctæ„ Catholicæ Eccleſię,cum ea quam antè declara-„ uimus fide. Et hæc ſtatuta ritúſque ac traditio-„ nes in ipſa habentur. Hic enim eſt character à„

„ lege & Prophetis, Apostolísque & Euangelistis
„ collectus, velut ex multis odoriferis virgultis
„ ac medicamentis Antidotus bona ad salutem
„ vtentium præparata, ex voluntate patris & filij
„ & Spiritussancti. Hi sunt characteres reuerẽdæ
„ ac castæ huius sponsæ Christi. Hæc est dos &
„ testamentum hæreditatis, & voluntas sponsi
„ ipsius & cœlestis Iesu Christi domini nostri.
Hactenus ex Epiphanio externus apparatus descriptus est, quem cum cõfirmatis prius proprietatibus iungentes, minime (vti credo) errabimus, si Ecclesiã eam veram esse legitimámque certo statuamus: in cuius corpore, præter cęterum hunc totum apparatum, & elegãtiam, quatuor illæ notæ & proprietates claræ cernuntur. Rursus verò eam omnem vt furtiuam, falsam, & ementitam abiiciamus, quæ iisdem ornata & insignita non fuerit. MIS. Neque verò abs re vtrumque hoc caput colligis. Quò igitur quamprimum tam insigni ornatu amicta regina prodeat, ad id de quo quęstio est, vtrumque & apparatum nimirum, & euictam prius proprietatum demonstrationem accommoda. Sic enim quæstione non tãtum in toto genere, sed in particulari hypothese tractata: diuersos aduersariorũ ordines, quãuis valde inter se dissimiles, vna eadémque opera in sententiã tuam potentissime rapies. Dum qui iudicio & doctrina aliqua valent probatione vniuersali: simplices verò, ea quæ ad oculum est, demonstratione captos, victas Catholicæ Ecclesiæ exhibere manus est necesse. EPIS. Quo igitur nõ

modo doctis, ſed indoctis noſter hic labor
prodeſſe poſſit, conſilium tuum ſequutus, ter-
tiam hanc probationis partẽ lubentiſſime per-
agã: quæ ex ipſa hyppotheſe deducta proprie-
tatum prius monſtratarum nullam, quemad-
modum nullũ aliud verũ Eccleſię ornamẽtum,
in miſerrima illa Eccleſiæ Scotianæ cõfuſione
ſupereſſe prorſus euincet. Vnde ij omnes qui *Proprieta-*
faſtus contemptúſque malum (quo plerique à *tum prius*
vero dignoſcendo impediũtur) à ſe pellere vo- *euictarũ*
lunt, certiſſimũ veritatis iudicium facere, ac ob *applicatio*
id ad Eccleſiæ Catholicæ gremium ſe recipere *propoſi-*
facillime poſſint. Nouo itaque ducto docendi *tionẽ prin-*
principio, in deformata Eccleſię facie quę apud *cipem in*
Scotos nunc eſt, nullam (quæ quidem Eccleſiæ *hypothe-*
competere debeat, quáque veriſſime Romana *ſe cõtinẽs.*
Eccleſia ſibi vendicat) vnitatem, multò minùs
ſanctitatem, omnium verò minime vniuerſa-
litatem, & Apoſtolicam ſucceſſionis ordinariæ
beneficio durationẽ deprehẽdi ad oculũ com-
monſtrabo. Tu interim dum laborẽ iſtũ gen-
tilium noſtrorum cauſa ſubeo: aduerſæ partis
perſonam induens, ea omnia quæ cum ratione
obiici ab aduerſario quouis vel ſtrenuiſſimo
poſſunt, illata in medium quam potes exaggera
vt excuſſa ſemel ſolutáque non amplius ſimpli-
cibus negotium facere poſſint. MIS. Faciam
id quidem eóque lubentius, quo ſi ita fecero
certiorem demonſtrationem futuram, & ea fa-
cta maiorẽ ad omnes vtilitatem reditură con-
ſtat. Proinde ſic te compara quaſi cũ oculato

teste, quem nihil lateat eorum quæ domi in Ecclesia Scoticana dicta factáque sunt, negotium tibi fore intelligas. Nam quod ad me attinet: quanquam de eo quod monstrandum suscepisti nihil ipse addubitem, dabo tamen operam vt obiectionum quæ ex aduersariorum sententia contra singula capita facere posse videbuntur, recordatus: easdem vbi commodum fuerit ingeram, dissoluendásque tibi proponam. EPIS. Recte hercle hanc operæ partem polliceris: sine qua vtcunque quæ dicimus verbis nostris, adeóque aliorum testimoniis grauissimis confirmaremus: parum tamen aut nihil pro impugnandis aduersariis, inque nostram sententiam transferẽdis fecisse videremur. Quò igitur de prima proprietate quamprimum periculum fiat, quanquam ab aliorum (qui tum priscis tum his nostris diebus ab Ecclesia deficientes eandem inconstantiam factis prodiderunt) comparatione, nostrorum hominum ad conseruandam in vinculo pacis vnitatem, ingenium quale sit, quæque religionis ad ipsis cultæ facies, apud eos cernat, claro clarius euincere possem: tamen aliis omnibus sepositis (vel quia de illorum varietate, & inconstantia fœlicissime alij perscripserunt: vel quia regionis nostrę quã aliarũ res nobis sunt notiores) vnius Scotiæ finibus nosmet circũscribemus. In qua cum septendecim plus minus annos auitæ religionis sedísque Pontificiæ contemptus inualuerat: non tantum in ceremoniis & doctrina mutatio sæpius facta fuisse deprehenditur, sed qui

Nullã in Scoticanæ congregationis confusione esse vnitatem.

qui verbi prædicationi in eadem deseruiunt sic vel sibi, vel aliis parum cōsentientes reperiuntur, vt cùm plurima sint grauissima in religione capita, in quibus palam in suis cónsessibus, ac etiam pro cōcione à se inuicem dissideant: fere nihil insuper sit, in quo diu ac firmiter constare sibi queant. Vnus leges iudiciarias, & politiam Mosaicam nobis etiámnū necessarias esse contendit. Alius explodendam istam doctrinam proclamat, veluti emoti cerebri insaniā, quam ad nihil aliud quàm ad excitandos ad seditionem populos excogitatam esse constet. Est qui spiritum sanctum in terras missum fateatur, vt fidelium corda inhabitet. Complures spiritum sanctum ipsum quidem non missum vnquam, sed dona tantum quæ spiritus non sunt, hominibus communicata pro suggestu affirmabūt. Rursus qui ordinem in Ecclesia necessarium esse dictitent minime desunt, & ij quidem oculatiores. At qui ordinem omnem abominati, æqualitatem vrgent cernuntur longe plures. Patris aut propinquorum cædem remittere, nec cædis auctorem summo iure persequi nulli fas esse plerique, & ministri fere omnes constanter affirmant. Alij ex Euangelico præscripto vindictam Deo remittendam longe melius cōfitentur. Magistratum ciuilem etiam in rebus Ecclesiasticis Ecclesiæ preesse, nonnulli scriptis æditis asseuerant. Alij Ecclesiam sui iuris esse, & à politica administratione prorsus distinctam dicunt. Pro omnibus orandum esse alij. Alij etiam quibusdam imprecandum, dum adhuc

viuunt, Dauidis & aliorum prophetarum freti exemplis pertinaciter defendunt. Sunt qui animas cum corporibus ad dië vsque iudicij dormire affirment. Alij saniores reclamant. In matrimoniis contrahendis ceremonias, contractis verò dissoluendis, causas, plures alij: alij pauciores habent. Quoties autem in publico sententias rogati dicũt, toties quot capita (vt aiũt) tot sensus audias. Vt ex eadem factione nobilis quidã solemnes eorũ cætus cũ confusis barbarorũ conuocationibus (Lingua vulgari) *makum tosch, his court,* lepidè comparauerit, sic in vtrisque cum modo, ratione, & iudicio nihil: omnia vero ex ira, impudentia, & clamosa dicacitate aguntur. Quippe nihil solemnius ducunt, quàm (quod à priscis hæreticis factitatum ex Irenæi verbis prius obseruauimus) nouam aliquam & ab aliis discrepantem sentẽtiam comminisci, in qua propugnanda (modo cum applausu aliquorum sibi similium excipi eam senserint) magnificè se efferant. Sin eidem contradicatur, pugnas verborum serendo totos se & alios exerceant. Iam verò qui reliquam Ecclesiæ faciem animaduertere velit, is quod mille & quadringentis annis à Tertulliano prius descriptum fuit, id in nostros homines verissimè competere facillimè deprehendet. Cum
„ sancta Ecclesia discernat lepram à non lepra, &
„ oues ab hœdis, fideles ab excommunicatis, pu-
„ blicos peccatores à piis, illósque ad pœniten-
„ tiam, hos ad sacramenta admittat: apud istos
„ nihil differentiæ esse solet: modo quis fidem

ſe habere dicat, ab Hypocauſto & Popinis, „
perinde vt ab oratione accedere poſſunt com- „
municaturi. Ipſæ porrò mulieres hæreticæ „
tam procaces, quæ audent dicere, docere, con- „
tendere, exorciſmos agere, curationes repro- „
mittere, forſitan etiam & ſacras interpretari „
literas? Certè quod omnium exactorum ſæculorum impietatem lõgiſſime vincat, deiparæ virgini ſemet æquare horrendis contaminatæ flagitiis fœminæ non dubitant. Ordinationes interim eorum temerariæ. Laicis enim ſacerdotalia munera iniungunt. Sacerdotes omnes, omnes reges eſſe videri volunt: nemo alterius ſequi ſenſum ſuſtinet. Sic libera, ſoluta, & ſine ordine ſunt omnia. Sentẽtiam ſuã dicit aliquis, alius contra ſentit, tertius inſuper ne alterutrum ſuperiorem ſe agnoſcere videatur, nouam ab vtroque ſentẽtiam comminiſcitur. Ita fit vt tum rebus ipſis definiendis, tum in ſcripturis exponendis, poſtremò in locis, temporibus, circunſtantiis denique ſingulis rerum agẽdarum conſtituendis, alij ab aliis leuiſſimè diſſideant. Atque hoc iuſtum Dei iudicium eſt, vt qui vnitatem in charitate fouere per arrogantiam prius non vellẽt: iidem nunc quãdo & in quibus maximè volũt, eandem retinere, per alienati animi impotentiam minimè poſſent. Sic nimirum diuiſa ciuitas Hieruſalem, quæ vnius labij prius fuit, inſtar, turris Babylonicæ neque alios intelligere, neque ſibiipſi diu conſtare poteſt.
MIS. Atque in hoc tamen vno à ſummo ad infimum mirifice inter ſe cõſentiunt, quod vna

voce Pontificem insectantes nullum vnum in Ecclesia præsidere volunt. Epis. Verum id quidem est, neque aliunde quàm ab hoc vno vnius capitis contemptu prouenire putandum est, quòd pugnantibus inter se sententiis mox in diuersa rapiantur, vt merito ob id Samsonis vulpes caudis tantummodo colligatas in his talibus disertè exprimi dicere possimus. Nam cum caudarum (partium nimirum turpissimarum colligatio) istã legitimi ordinis impugnationem disertè referat: tum capita quod necesse alioqui est alio atque alio respicientia, eorundem sententias pugnantes & discrepantes satis indicant. Quod quoniam non ita facile persuaderi plerísque potest, multíque sint, qui hanc vnius in Ecclesia capitis necessitatẽ ignorent, agesis quasi in hoc ipso totius quæstionis cardo vertatur, idem nos paulo pluribus confirmemus. Inter quæ docendi causa si à verisimili decore ad necessitatẽ, à necessitate ad euidentem vtilitatem cõscendentes certum struamus ordinem, nihil abs re facturi videbimur. Quasi vbi ab vnius capitis præcellentis legitimo moderamine, omnem in Ecclesia vnitatem pẽdere probatum fuerit: simul & in Scotia protestantes non magis illam quæ in Ecclesia esse debet vnitatem, quàm cum capite illo summo communitatem, habere comprobentur. Frustra enim effectum verbis sibi vendicabunt illi, qui cum causa tam nihil sibi esse commune & verbis & opere declarant. Principio igitur (in qua decus Ecclesia dignum cernatur) Ecclesiasticæ

Ab vno pontifice Ecclesiæ vnitatem pendere.

Effectum ad causã consequi.

hierarchiæ vnum caput postulantis, ratio nobis ex Dionysio Areopagita repetenda fuerit: tum verò quæ eiusdem necessitatem euincat per vnifórmem consensum doctorum omnium perpetuo propagata Ecclesiæ traditio subiicienda. Postremo quæ illustrem notet euidentiam ex ipsius Christi verbis institutio ipsa primatus commonstrabitur. MIS. Recte hos gradus atque ordine digessisse, mihi videris. Eorum quippe primus studiosos veritatis amatores volentes ducet: secundus eiusdem hostes etiam nolentes trahet: tertius pertinaciter recalcitrantes iusto Christi iniecto metu, veluti forti ac violenta iniecta manu, transuersos rapiet. *Partitio probationis.*

EPIS. Esto ita sane, sed videndum interim si forte quod nos pro verisimili posuim⁹, id fundamentum omnium merito firmissimum habendum sit. Quid enim certius dici aut à quoquam adferri potest, quàm quod Moysi mandatum legimus: vt nihil adderet nihílve minueret, verum ad præscriptum diuinitus sibi exemplar arcam instrueret. Quod præceptum cum Moysi datum fuisse constet, prout ille figuram Christi gessit, dubitandum neutiquam est, quin quod à Moyse in typo, hoc à Christo in corpore perfectum fuerit: præsertim quando dilectus domini discipulus non potuisse filium facere quicquam testatur, quod non viderat patrem prius faciētem: quippe vt illius Moses, sic arca Ecclesiæ à Christo exædificatæ typus extitit. Vidit hoc & cognouit qui in Apocalypsi sua dicebat: Vidi ciuitatem sanctā Hierusalem

nouam descẽdentem de cœlo à Deo paratam.

Dionysius Areopagita. Vidit & eiusdem auditor Dionysius, qui non vno in loco sanctissimam in terris hierarchiam imitatricem Angelicæ Hierarchiæ factam, diuina ordinatione affirmare non dubitat. Vidit &

Bernard⁹. Dionysij fœlicissimus imitator Bernardus, qui libr. de Consyderatione tertio & quinto minime vilem reputandam formam & Ecclesiasticam ordinationem esse admonet, quæ in terris ,, cõstituta, exemplar è cœlis habeat. Sic enim ,, loquitur: Ordinationes congregationum sensibilium, ordinatè dispositarum imagines sunt ,, ordinationum, quæ sunt in cœlestibus ordinibus ad Dei imitationem ordinatis. Et rursus ,, tertio capite Angelicæ Hierarchiæ: Hierarchia ,, est sancta rationalium personarum congregatio per gradus atque officia ordinatè distincta, ,, cum scientia & operatione sibi competenti ad ,, Dei conformitatẽ (prout ipsi possibile est) assimilata, atque per illuminationes sibi diuinitus ,, infusas iuxta vniuscuiusque capacitatem ad Dei ,, imitationem sursum acta. Et rursus 7.cap. & 9. ,, Ordo Hierarchiæ est alios purgare, alios purgari, alios illuminare, alios illuminari, alios perficere, alios perfici. Generaliter namque à Deo ,, ordinatum est, vt inferiores purgentur, illuminentur, perficiantur: superiores autem purgent, illuminent, perficiant. Ita tamen vt omnes quibuscunque tandem gradibus, distincti ,, ab vno Deo, veluti capite purgationem, illuminationem, perfectionémque suam sortiri

dependeant. Cùm itaque Christus Ecclesiam sibi in terris colligendo, perfectissimus Dei patris imitator extiterit, nec quicquam fecerit, quod non prius viderit patrem facientem: profectò non modo consentaneum, sed maximè etiam necessarium fuerit, certis purgantium, illuminantium, perficiétiúmque: & rursus purgandorum, illuminandorum, perficiendorúmque gradibus Ecclesiam interstingui: qui omnes ab vno capite Christi in terris vicem gerente illuminationem capiant. Quod caput in terris instrumentarium ac ministeriale tantum, quando dicimus: tum idem sic verè intelligendum esse illud Ioëlis primo capite satis indicat, vaticinantis futurum, vt filij Iuda, & Israël congregentur pariter, ponántque sibi caput vnum, vnũ, inquam, caput non in cœlis, vbi vnum sempre perstitit: sed in terris, in quibus diuulsus in partes Dei populus per Euangelij prædicationem ad vnũ ouile, vnúmque pastorem aggregandus erat. Quem pastorem vnum Christus cũ seipsum præcipua ac prima authoritate præditum mundo tam diu daret, atque legatione hic apud homines fungeretur: tum hinc emigrans sui loco Petrum, Petrique successorem Ecclesiæ corpori ad exemplar illud cœlestè exactissime efformato præfecit. Neque verò ob id caput esse ipse desiit: sed suam à terris corporalem præsentiam subtracturus, quo Ecclesiæ hoc pacto in vno visibili capite recollectæ vnitas seruari posset, Petrum sibi

Quo sensu vnum caput Ecclesiæ asfirmẽt catholici.

ſubſtituit,non ſuo nomini quicquam derogando aut gloriam imminuendo: ſed(quæ ipſius benigna bonitas eſt) per vicariam ſubſtitutionem honoris nomen & officium cum mortali homine communicando. MIS. Audio atque hic fere locus eſt,vnde in Eccleſiam inſurgendi occaſioem arripiunt aduerſarij, vel in monſtrum Eccleſiam eſſe commutatam ſi Chriſtum vnum in cœlis,papam alterum in terris caput habeat:vel ſi toto ſuo iuri Chriſtus cædat, imminutam eſſe ipſius gloriam, & in hominem peccatorem eam tranſlatam eſſe clamitantes. EPIS. Sic quidem vociferātur,ſed inſcitè non enim intelligunt,aut certè intelligere nolunt rationem diuinæ in Chriſto bonitatis,qua non tantum ſua omnia, ſed ipſum ſe nobis communicando impertit. Et hæc quidem talis eſt, qua nos vere ditat, ſed non ſe euacuat:ad nos tranſit, ſed non ſe relinquit. Imo in nos ſua omnia transfundit,ad hūc finem vt nos ex filiis hominum quod maximum eſt, Dei filios tandem faciat,neque ſe interim dum iſtud facit deſtituēs, neque nos homines, ideo quia peccatores ſumus, ab hac ſua dignatione multa excludens. Quod ſi illud eos male habet quod in hominē peccatorē tantæ dignitatis prærogatiua confertur: videāt ſanè ne non tā infirmitatis humanæ quā diuinæ bonitatis accuſatores exiſtant;túmque apud ſe conſiderent, ān non meliori iure hoc illorum peruerſum iudicium corripi à Deo & caſtigari debeat, quàm idem aut conſimile Donatiſtarum iudicium apud Optatum Mile-

Quo modo & fine poteſtatē ſuā Deus homini communicet.

Per pont. licet peccatorē dona ſua Deus ad homines transſmittit.

Opt. li.3.

uitanum correptum legimus. Hi enim mortalis duntaxat principis munera recusabant, quòd qui offerebat ea Constans, homo peccator esset: illi vero immortalis Dei beneficia superbo contemptu repudiant, quòd ea homini infirmo, addo etiam, & peccatori dispensanda credantur: vt eo nomine ad eos merito Deus dicere possit: Quem inquam (ô homines) dispēsandis meis beneficiis in terra præficiendum ducitis? Angelúmne?, aut quod idem est Angelicæ puritatis hominem? At hoc quanquam & possem, & puritati meæ magis quadraret, è re tamen vestra neutiquam futurum esset. Sin vero peccatorem? cur non in eo bonitatis meæ argumentum tanto magis conspicuum videntes quanto infirmior ille peccator est ad quem ꝓpter vos memet submisi, ab eodē ad vos mea transire beneficia patimini? An quia ille peccator est, ideo vel concessum beneficium vilescere, vel maiestatis meæ portio cum illo communicata sordescere potest? At nō ita est: quin potius tanto clarius mea relucet bonitas, quanto vberius profusa etiam in peccatorem eadem ad vos vsque penetrare potest. Ex his inquam & talibus nō tam Optati Mileuitani quam ipsius Dei verbis quo pacto inanis illa, aut nulla potius obiectio quæ priore loco proponebatur sponte sua cōcidat, facile intelligi potest. Nunc reliquas videamus quæ quā pueriles nugæ sint inde maximè apparebit, si in simili materia collectum argumentum quàm absurde cadat in hunc modum dispiciamus. Christus non tan-

bus Ecclesiis singulos pastores, quàm in vniuersali Ecclesia vnum principem pastorem existere: qui ipsius nomine in terris curam gerat, capútque & Petra dici possit: nõ tamen vt Christus Petra, sed vt Petrus petra. Quippe Christus re vera, natura, & potestate præcipua, petra immobilis, & inconcussa est: Petrus vero per participationem tãtum, is quem Christus Petram fecit. MIS. Intelligo distinctionem & eam quidem auditu minime indignam. Sed instant adhuc acrius, ordinariam in singulis Ecclesiis curam quidem esse necessariam, eandem vero si per totum & vniuersum orbem ab vno eodémque obeunda viro prę̨scribatur, iam per se plane esse impossibilem. Neminem enim esse qui tot prouinciis támque à se terrarum pariter & marium interuallo disiunctis regionibus obeundis, vel per centesimam partem sufficiat. *Obiectio de impossibilitate.* EPIS. At enim falluntur longè si quam quisque in suos functionem exercet Episcopus, eãdem à Pontifice summo per omnia exigendam putent. Fateor equidem in Romanæ vrbis Ecclesia, cui peculiariter præest, eum non minus quàm alium quemuis prædicatione verbi inuigilare oportere. At si corpus Ecclesiæ ex omnibus conflatũ particularibus spectes, iam Episcopatus vnus est, cuius singuli (vt ait Hieronymus) partem solicitudinis tenent. Ita tamen vt in his quæ ad Episcopum pertinent, æqualem potestatem habeant omnes. At in quibus prærogatiuæ præcellẽtia iurisdictionísque authoritas ad firmandã seruãdámque vnitatem

concessa spectatur, iam singularum Ecclesiarum Episcopi in priuatorum hominum sortem atque ordinem vocati vni Pontifici subsint, ab eo ex diuina ordinatione, & Christi institutione, eam quam aliis communicent tum purgationem, tum illuminationé, tum perfectionem percepturi. & omnino quod respectu Episcoporum sunt sacerdotes reliqui, & sacerdotum comparatione plebeij, hoc ipsum Episcopi reliqui ad Pontificem comparati censentur. Quapropter vt sacerdotis erga plebeios, & Episcopi erga sacerdotes curæ suæ concreditos functio grauis quidem (quod multi sint) non tamen impossibilis habetur: ita grauissima (quis dubitat) Pontificis cura est, qua is in subiectos sibi Episcopos inuigilare tenetur. Non tamen ob id impossibilis imo Dei spiritu vires ministrante, & lubenter subeunda, & fortiter sustinenda prouincia creditur. Nam vt taceam eam politiæ formam, quæ ab vno pendet, è natura maxime esse, sine qua nō ipsa bruta animantia gregatim viuere, nedum homines communem fouere societatem possint: certe prescriptus, & prius adūbratus cœlestis Hierarchiæ ordo (ad cuius imaginem in terrris Ecclesiam conditam esse constat) aliquod vnum caput esse oportere euincit. Nisi forte Christum in terris ineptum cœlestis imaginis imitatorem fuisse, suæque Ecclesiæ politiam nō ad optimam formam composuisse dicere quis velit. Quod vtrumque blasphemiam horrēdam continens, quasi quod Christianorum mentibus semel concipiatur in-

Quod Episcopi ad sacerdotes hoc pontifex ad Episcopos.

dignum, quodque aliorum auribus capiatur indignius, at quod prolatum palam & publicè defendatur omnium indigniſſimum, merito propter nimiam abſurditatem videri debet. Chriſtus enim is eſt qui deiformis imaginis memor, à patre terras relicturus petiit, vt ij quos ſeruandos dediſſet vnum fierent, ſicut ipſe & pater vnum eſſent. Idem qui præceptum Moſi datum, non tam in arca illa vmbratili veteris teſtamenti quàm in vero Eccleſiæ corpore complendum tandem fore intelligens, membra Eccleſiæ veluti in vno corpore compacta atque ordine digeſta vni capiti ſubeſſe voluit, non tantum principali, & primario (quod ipſe eſt præcipua poteſtate cuncta adminiſtrans) ſed miniſteriali & ſecundario cui vicem ſuam in terris gerendam virtute communicata concredidit. MIS. Atque cùm in hoc præcipuæ quæſtionis cardo verſetur, nũ præter Chriſtum alterum in terris ſecũdarium caput requiratur, aut idem etiam locum habere poſſit: non niſi euidenti aliqua ratione illius ſecundi capitis neceſſitas euincenda fuerit. Maximè quando illius eiuſdem capitis vt nos neceſſariam, ſic aduerſarij impoſſibilem poſitionem ſtatuũt, quod vel ex ea obiectione cuius ſupra mentionem feci intelligi facile poteſt. EPIS. Si non ad victoriam reportandam ſatis tibi eſſe videtur euicta conſentaneis argumentis veritas, niſi inſuper euidentia acceſſerit: age ſis videamus ecquod euidentius vel ipſi aduerſarij argumentũ deſiderare poſſint, quàm quod ex ſcripturis

Quomodo Chriſtus imaginis deiformis imitator.

ſacris ſumptum, præter primarium illud in cœlis, ſecundarium alterum inſuper in terris caput omnibus tẽporibus quibus diuina protectione conſpicua Eccleſiæ facies extabat, neceſſarium fuiſſe: atque ob id etiam nunc eſſe commonſtret. Id ſi eſt (quod eſſe eſt neceſſe) profecto quod vel ipſe aduerſarius (quantumuis pertinax) euidentiam probationi deeſſe queratur, minime metuo. Conſtat enim paſſim in ſcripturis ſacris deum patrem, ac ipſius filium vnigenitum, dominum, regem, paſtorem, ac caput populi ſui mox atque illum à reliquo mundo ſegregauerat extitiſſe. Scriptum námque reliquit Eſayas 33. dominus iudex noſter, dominus legifer noſter, dominus rex noſter. Et Ezechielis cap. 24. Ego requirã gregem meum, & ego ipſe paſcam oues meas. Et 1. regum ſic Samuelem alloquitur dominus: non te abiecerũt, ſed me ne regnem ſuper eos. Neque tamen hæc olim in veteri Eccleſia obſtiterunt teſtimonia, quominus alius pręter Chriſtũ tũ in cœlis, tum in terris vniuerſæ Eccleſiæ qui curam geſſerit princeps extiterit. Alioqui quid ſibi vult Michaëlis principatus Danielis 12. deſcriptus, quem ad Eccleſiam non minus quàm ad veterem Synagogã pertinere ſancti patres Hyeronymus, Gregorius, Beda vno ore affirmãt. Quid illa Moyſis cõprecatio numerorum 17. indicat? Prouideat (inquit) Deus dominus ſpirituũ vniuerſæ carnis, hominẽ qui ſit ſuper multitudinẽ hanc ne ſit populus domini ſicut oues ſine paſtore. Certe populo ſuo omni tempore præfuit

Ex ſcripturis firma ratio ad euincendum vnum in Eccleſia caput.

Nota.

Deus,vt dux præcipuus,nihilo tamen minus alterum tum in cœlis ſubordinatum, tum in terris pro ſe ſubſtitutum eſſe vult,quem & Moſes oratione ſua dari poſtulat, ſine quo populus aliud nihil quàm grex abſque paſtore credatur. Ea nimiũ dei φιλανθρωπια eſt, quæ non generali prouidentia vniuerſum hominũ genus tantum gubernet : ſed ex eodem ſelectum cooptatúmque gregem ſic regat, vt vnum aliquem non tantum naturæ,ſed ſtatus inſuper, & conditionis communis eidem paſcendo ex primæua ipſius inſtitutione præficiat. Qui vt Dei imperiũ ſuper populũ neq; ſuſtulit vnquã,neq; imminuit:ita ad legitimã populi adminiſtrationem perquam neceſſarius ex diuina ordinatione ſemper habebatur.Quid enim attinet dicere in populo Iſraëlitico ducem vnum, eundem in Eccleſia Chriſtianorum neceſſarium non eſſe? Hæc enim, corpus:ille vmbra hæc veritas, ille figura fuit. Quanquam in ipo populo Iſraelitico externam Eccleſiæ veræ faciem extitiſſe certum eſt, quæ ſuis licet legibus, id eſt Moſaïcis,pro peculiari illa temporum diſpenſatione vteretur, nulla tamen maiori neceſſitate tunc, quàm nunc ab vno adminiſtranda vel duce,vel põtifice videri poteſt.Namquæ ex innumeris conflata gentibus nunc eſt: ea in duodecim tribubꝰ olim ſubſtitit, quibꝰ ſingulis ſinguli duces & principes prçeſſe cõmode vitata omni confuſione potuiſſent. At nũc in tempore Euãgelij,quç nõ dico,familiarũ,ſed populorũ diuerſitas eſt,nec iiſdẽ legibus nec moribꝰ

Quanto latius diffuſa Eccleſia, tãto magis ab vno regenda.

vtentium, si quot populi, tot in religione antistites pari potestate præditi darentur in Ecclesia Christi, aliud nihil quàm inordinatissima confusio esset: in qua non doctrinæ, nō rituum vnitas, non extirpandarum hæreseon subinde pullulantium ratio vlla teneri potuisset. Sed profecto non sic est: quin potius omni tempore & Euangelij, & legis vnus aliquis communis cum populo sortis, naturæ, & status, pastor sub deo principe pastore necessarius fuit: qui vnitatis causa seruandæ constitutus, nihilo secius in vasta & immēsa populorū numerositate, quàm in angustis Israëlis finibus Dei vicē atque personam in terris sustineat. Imo tanto magis in pluribus idem illud vnum caput necessarium censeri debet, quanto quo plures, eo difficilius in vnitate retineri, nec omnino nisi vnius beneficio capitis in eadem diu subsistere possunt.

Obseruanda cōclusionis necessitas et ratio.

MIS. Vim argumenti & pondus satis consequor, nam cùm aduersarij à multitudine partim populorum, partim regionū distantia administrationem eam quæ ab vno dependeat impossibilem esse contendant: tu contraria ex iisdem momentis facta conclusione illorum impossibilitatem in necessitatem conuertis. Id quod non abs re facere mihi quidem videris, nō tantum quia ratio sic suadet, sed quòd rerum domesticarum facies sic sentire prorsus compellat. Postquam enim ab vnius capitis obedientia discessum fuit, iam ne plurium quidem gubernationem Episcoporum apud se ferre possunt, nec quæ sunt vesania finē facturi videntur quo ad in

Cur Episcoporum ordinē reciant ministri protestant.

ad in eo in quo nunc ſunt errore perſtabunt.
EPIS. Recté hercle, qui ab vnitate ſemel receſſerunt nullum ſecandi finem prius facturi tibi videntur, quam ipſos ſe & errorem ſuum deſerãt. Nihil enim aliud homines alioqui oculatos & obſeruandi (vti videri volunt) ordinis ſtudioſos, cõtra Epiſcopatum tãtopere accẽdit: quàm quod vna eadémque ratione cum Epiſcopatu ſummum ſimul põtificatum inuehi denuò animaduertunt. Quo enim iure multis ſacerdotibus Epiſcopus vnus ad ſeruandam doctrinæ vnitatem præficitur, eodem planè pluribus Epiſcopis (ſi quando diſcordes fuerint) vnus Metropolites: & iis adhuc pluribus vnus tandem Pontifex ſummus neceſſario præficiẽdus cõuincitur. Cuius authoritatem tam odioſè à ſe laceratam ne agnoſcere denuo, itáque ad vnitatem redire cum ratione cogantur, nõ tantum contra rationem, contra ordinem, contra ipſos denique ſe: ſed contra compertam tum ſuam tum aliorum omnium vtilitatem pugnare in certam vſque perniciem volunt. MIS. Neque id quidem obſcurum eſſe videtur, eos ſic in præceps ruituros, vt perparua de pleríſq; eorum ad ſanitatẽ reuocãdis ſpes haberi poſſit. Verũtamen propter alios qui nõ vt illi ex ſciẽtia peccant, ſed decepti tantum alienum ſequũtur errorem, ad finem vſque ſuſceptam demonſtrationem perſequere. Mirum interim haudquaquam videri debet ſi aduerſarij ipſi vel pertinaciſſimi Achillem ſuum non tantum ſibi extortum, ſed in ſeipſos valide retortum ſentiẽtes

remiſſo ardore, contentionı́ſque impetu modeſtiores ſe in poſterū præbeant. Præſertim quando ſcommata ſua & conuicia quæ in ſanctiſſimam ſedem proiiciūt, nō tantum ad eam infirmandam nihil facere poſſe, ſed eadem detecta mirificè illá confirmare animaduertunt. EPIS. Ex tribus igitur capitibus primum huc vſque abſoluimus, nūc ſecundum aggrediamur: principium inde ſumpturi vbi prius illud caput terminatum fuit. Id autem eſt vt iam fixum conſtitutúmque habeamus non humani, ſed diuini prorſus iudicij fuiſſe, Eccleſiæ vnitati per hanc vnius capitis prærogatiuam proſpexiſſe: quo nimirum ad vnum pontificem plures epiſcopi in maioribus fidei articulis controuerſis confugerent. Hūc ordinatiſſimum corporis Eccleſiaſtici conſenſum à Chriſto haud dubie authore profectum fuiſſe, prçter doctorum ſuffragia, inſuper virorum Apoſtolicorum & conciliorum quorum æque atque ipſorum Euangeliorū ſancta, venerandáque ſemper habita eſt authoritas canones euincunt. Ex quibus innumeris paucula hæc exemplorum vice ponātur. Extat de primatu, Anacleti ſecundi poſt Petrum Pontificis decretū in hūc ſenſū: prima ergo ſedes cœleſti beneficio eſt Romanç Eccleſiæ quā beatiſſimi Petrus & Paulus ſuo martyrio coronarūt. Ad eūdē modū atque in eadē verba primatū eidē ſedi adiudicauit Nicæna ſynodus vbi in præfatione ſic loquuntur patres 318. ſciendum eſt ſane ab omnibus Catholicis quoniam ſancta Eccleſia Romana nullis ſynodicis decretis prælata

eſt, ſed Euangelica voce domini & ſaluatoris noſtri primatum obtinuit, vbi dicit beato Petro Apoſtolo: tu es Petrus &c. Quam ſententiam quotquot ſequuta ſunt Concilia generalia ratam & firmam tenuerunt. Iam vero pro eodem confirmando primatu tot doctorum teſtimonia paſſim inter legendum occurrunt, vt vnde incipiendum primum ſit incertum habeam. Irenæus Apoſtolorum temporibus vicinus, de illius ſedis principalitate præter multa alia ſic cap. 3. lib. 3. loquitur: Ad hanc enim Eccleſiam ſupple Romanam (propter potentiorem principalitatem) neceſſe eſt omnē conuenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt & reliqua: in quibus vſque ad Eleutherium tunc temporis Romę prę ſidētem ſucceſſionem ordinariam proſequitur. Ad eundem modū Cyprianus martyr Romanam ſedem Eccleſiarum matricem agnoſcit his verbis: nos enim ſingulis nauigantibus ne cū ſcandalo nauigarēt vllo, rationem reddidiſſe nos ſcimus, & hortatos eſſe: vt Eccleſiæ catholicæ matricem & radicem agnoſcerent & tenerent &c. Hieronymi inſuper ſunt verba clariſſima, qualia ſunt præter ea quæ ad Damaſum prius citata fuerunt: alia longe plurima quibus paſſim in ſcriptis ſuis ſedis illius præ cæteris primatum, luculentiſſime effert. Vt

Irenæus

Cypria li. 1. epiſt. 3.

Hieronymus. lib. 1. aduersus Iouinianum in hunc sensum: at dices supra petrã fũdatur Ecclesia, licet idipsum
„ alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cun-
„ cti claues regni cœlorum accipiant, & ex æ-
„ quo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: ta-
„ mẽ propterea inter duodecim vnus eligitur, vt
„ capite constituto schismatis tollatur occasio.
„ &c. & rursus ad Damasum pontificem. Ideo
„ mihi cathedram Petri & Apostolico ore fidem
„ laudatam censui consulendam, inde nunc meæ
„ animæ postulans cibum, vnde olim Christi ve-
„ stimẽta suscepi. Et aduersus Luciferianos: Ec-
„ clesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pen-
„ det, cui si non exors quædam, & ab omnibus
„ eminens detur potestas: tot in Ecclesiis efficien-
Chrysostomus. tur schismata quot sacerdotes. Chrysostom⁹ autem in illud Ioannis 21. Sequere me sic scribit:
„ Si dixerit aliquis qualiter ergo Iacobus thro-
„ num assumpsit Hyerosolimorum, illud vtique
„ dicam quoniam Christus Petrum orbis terra-
„ rum intronizauit magistrum. Et iterum magna
„ Christus Petro prædixit, & orbem terrarum
Ambrosius. ei commisit. Et Ambrosius sermone 11. in-inquirens quænam sit Petri nauicula in quam
„ ascenderit Christus sic loquitur: Solam igi-
„ tur eam Ecclesiæ nauem ascendit Christus
„ in qua Petrus magister constitutus est, dicen-
„ te domino super hanc Petram &c. Et Leone
Leo pontifex. Pontifice epistola 53. contra Anatolium complura disertissime dicuntur, interquæ & hæc:
„ Post illa itaque ordinationis tuæ non incul-
„ pata principia, doleo quod constitutiones sa-

cratissimas Nicænorum canonum conareris " infringere, tanquam opportunè se tibi hoc " tempus obtulerit, quo secundi honoris priui- " legium sedes Alexandrina perdiderit, & Antio- " chæna Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis " amiserit: vt his locis iuri tuo subditis, omnes " metropolitani Episcopi proprio honore pri- " uentur. Et 54. Alia tamen est ratio rerum sæcu- " larium, alia diuinarum, nec præter illam petram " quam dominus in fundamento posuit, stabilis " erit vlla constructio. Et his consentanea vt plu- " rima passim de sede Romana scribit Leo, sic & " Gallorum Episcopi eidem sedi attributam me- " ritò dignitatem ad Leonē scribentes, agnoscere " se libētissime profitētur. his verbis: magna præ- " terea & ineffabili quadam nos peculiares tui " gratulatione succrescimus, quod illa specialis " doctrinæ vestræ pagina ita per omnium Ec- " clesiarum conuenticula celebratur, vt vere con- " sona omnium sententia declaretur: merito illic " principatum sedis Apostolicæ constitutum, vn- " de adhuc Apostolici spiritus oracula referen- " tur. Omnium vero clarissime præeminētem e- " ius sedis potestatem euincit ipse Leo in duabus " epistolis, vna ad Alexandrinum 81. altera 84. " ad Thessalonicensem episcopum descripta, & " vtraque tum grauissimis admonitionibus, tum " correptionibus seuerissimis referta. Et Augu- *August.* gustinus sermone 149. Confitenti inquit Petro " amorem suum, commēdat Christus oues suas: " tanquam non esset vbi ostenderet Petrus amo- " rem suum erga Christum, nisi esset pastor fide- "

lis ſub principe paſtorũ. Theophilactus ſuper iiſdem verbis ſic ſcribit: In hoc quod dominus dicit Petro: ſequere me, cunctorum fidelium ei commiſit prælaturam. Et denuo in perſona Chriſti ait ad Petrum: Te nunc dirigo ad orbis Põtificatum. Iam vero Cyrilli ex ſuo theſauro, Bernardi ex 2. de Condeſyratione & Damaſceni, & Leonis 9. teſtimonia luculentiſſima eundem Romanæ ſedis primatum confirmantia, cum ſint innumera: ea potius ad tuam ipſius, aut cuiuſquã alterius lectionem remitto, quàm ſub finem tam ampli támque inſtructi catalogi, eadem etiam nunc quando minime eſt opus infero. Nihil interim veritus, quin quod in me receperam, de primatu Romanæ ſedis ex vniformi doctorum conſenſu commonſtrando, abunde perfectum reddiderim. MIS. Sed qua arte hæc tot tantáque doctorũ teſtimonia, quibus ſe reſpondere non poſſe facilè intelligunt, eludere conentur, tu per te (niſi fallor) intelligis. EPIS. Quidni ſciam meros fumos, quos ad ad obſcurandam veritatem ſimplicium oculis offundũt. Principio quod Petro vni dictum, id poſtea ſimul omnibus Apoſtolis commiſſum fuiſſe aiunt. Deinde Gregorium ipſum Pontificem Romanum, vniuerſalis Epiſcopi titulum non tantum recuſantem, ſed eundem in Ioanne Conſtantinopolitano (qui id forte honoris nomen ambiuerat) grauiſſime inſectantem adſerũt. Poſtremo ad argutias quãquã ineptas & ridiculas cõfugientes, argumẽta nectũt quibus Pontificẽ Romanũ, modo Eccleſiæ vniuerſalis

Obiectiones cõtra primatũ proponi ſolitæ.

caput sit suum, ipsius caput esse oportere colligũt. Sed hęc quæso omnia quid ad fides vt aiũt. Sane clauiũ potestatẽ, totamque Apostolatus functionem quantum ad promulgationem Euangelij attinet omnibus ex æquo Apostolis cõcreditam fuisse libenter ipsi fatemur, specialẽ interim iurisdictionis prærogatiuam in vno Petro (vt aiũt doctores vna voce omnes) cõstitutam agnoscentes, nihilominus Romanæ sedi deferimus. Deinde quis tam absurdus rerum æstimator erit, qui præcellẽtis dignitatis titulum ob id nullum esse contendet: quòd eundem per ambitionem affectatum, & proinde in altero damnatum, Gregorius per piam humilitatem respuerit? Aut quis potius non iure laudandum vtroque nomine Gregorium censeat? Primum quidẽ quòd alterius arrogantiã insectãdo, deinde quòd suã ipsius dignitatẽ alioqui veram eleuãdo, illinc generosa animositate, hinc vero pia humilitate Ecclesiæ cõmodo pariter studuerit? Aut quis est qui quò humilius de se ipsũ Greg. sentientẽ audiuerit, legerit ve, nõ tãtò verius liberiusq; eundem honoris gradũ minime affectatũ ei deferat? Pręsertim quando nõ aliter Ioannẽ Gregorius quàm Anatholiũ Leo ad iniustam tyrannidem in alios metropolitanos viam affectantem corripuerit. Certe vtérque re ipsa & non argumentis seipsum fuisse ostendit; qui primę & apostolicę sedi pręfectus, salua authoritate sua, alterum in Ecclesiã dominationẽ superbã parantem, & corripere, & correptũ iure suo castigare potuerit. Neq; vero aliorũ tãtùm

insolentiam Romani pontificis auctoritate repressam legimus, sed & merito laudatam eorũ libertatem fuisse affirmamus, qui ne ipsi quidẽ Pontifici parcerent, si quando neglecta animarum cura, & Ecclesiæ vtilitate ad profanũ dominatum sese conuerteret. Tales profecto correptiones à Christiana charitate profectæ, cùm non tantum apud Gregorium sed Cyprianum, Bernardum, & alios multos frequentissimè legantur: sedis Romanę dignitatem non tantum non imminuunt, sed mirum in modum confirmant & stabiliunt. Non enim clarius in re vlla alia, quàm in præfecti curam gerẽtis solicitudine, eiusdémq; si malè officio fũctus fuerit graui & seuera correptione, loci vllius pręeminẽtis dignitatem conspicuam esse veteres patres voluerunt: res nimirum natura sua disiũctas sedes ipsas, & homines iis præsidentes esse censentes. Qui tamen vt seueritate in homines officio abutentes vtendum: sic honorem omnem locis ipsis, & sedibus deferendum esse & ipsi iudicabant, & alios ad idem faciendum scriptis grauissimis hortabantur. Sed in hoc profecto dissoluendo nodo longius immorari opus non est, quando aduersarios tam friuole argumentando, aliud nihil quàm fucum facere velle inde manifestum apparere potest: quod non tantum Catholicis, sed ipsis etiam hæreticis Romanæ sedis iudicio se sistere, solemne semper fuerit. Temporibus namque nostris ab ipsorum corypheo & & hæresiarcha Luthero idem factitatum esse

hæc ipsius verba testantur. Beatissime Papa prostratum me pedibus tuæ beatitudinis offero cum omnibus quæ sum & habeo, viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba vt placuerit, vocem tuam vt vocem Christi in te præsidẽtis agnosco. Quibus totidem similia in actis Augustinens. ab ipso deposita leguntur: Ego (inquit) Martinus Lutherus Augustinianus, protestor me colere & sequi sanctam Romanam Ecclesiã in omnibus meis dictis & factis præsentibus præteritis & futuris: quòd si quid cõtra dictum fuerit, aut sit, pro non dicto haberi volo. Idem Eusebium Constãtinopolitanum fecisse scribit Socrat. lib. 2. cap. 11. Idem à Paulino & Appolinare factum fuisse commemorat Theodoritus cap. 3. lib. 5. Idem de fortunato legitur apud Cyprianum epistola 3. cap. 4. Quæ cùm diceret lõge (credo) tum Lutherus, tum reliqui aberant, vt primatus prerogatiuam odiosè traductam insectarentur, vel quæstionem nõ minus ridiculè, quàm ineptè de eo mouerent, num Papa quia membrum Ecclesiæ simul & caput est, ideò suipsius caput censeatur. Intellexerant namque Papam instrumẽtale Ecclesiæ caput datum, Christi capiti subseruiuisse: sicque toti visibili Ecclesiæ præfuisse, vt à subiectionis lege solus ipse immunis eximeretur. Qui sensus cum noster & Catholicorum omnium sit, cur ab eodem non tantum contra Catholicos, sed suos etiam homines pugnãdo resiliunt? MIS. Nescio hercle nisi forte quiduis dicere quantumuis repugnans, quàm agnito

Socrates.
Theodoritus.
Cyprian.

efficacia authoritatis concreditæ argumentum esse debet: Petrus nunc quidem 3000. nunc 5000. quot à nullo alio Apostolo vno tempore conuersos legimus, ad Christum adduxisse perhibetur. Postremò si quid Ecclesiæ solicitudo testata ad generalem agnoscendum pastorem conferre potest: Ecclesia quæ Iacobum decollari passa est, pro Petro tantum incarcerato, orationes sine intermissione fundebat, tanquam pro capite, in quo totius corporis incolumitas periclitaretur. Quæ omnia licet prærogatiuam authoritatis Petro concessam, susceptam insuper ab ipso, & à reliquis Apostolis agnitam euidenter euincant: tamen indicia obscura videri possunt, si cum vtilitate, quæ ex Christi oratione sequebatur, paululum conferantur. Ea autem est perpetua illius sedis Romanæ duratio nullum defectum sentiens. Quæ principatum ad hodiernum vsque diem sic tenuit (vt ait Augustinus) vt cum *Epist.* 162 aliæ pleræque omnes, quibus alij præfuerunt Apostoli, à fide defecerint: sola ea inuenta sit mater reliquarum omnium, quæ per omnipotentis Dei gratiam, efficaci precatione Christi impetratam, à tramite Apostolicæ prædicationis nunquam aberrauerit: neque prauitatibus vllis hæreticis (innumeris quamuis quassata) succubuerit, sed quam ab exordio fidei normam ab ipsis Apostolis Petro & Paulo acceperit, in eadem ad hunc vsque diem illibata permanserit. Defecit Hierosolimitana Ecclesia: cui præsedit olim Iaco-

bus:defecit Achaia, cui præfuit Andræas:defecit Asia,cui Ioãnes : defecit India,cui Thomas: defecit Persis, cui Iudas: defecit Æthiopia,cui Mathæus:defecit Phrygia,cui Philippus : defecit & Græcia, nec eã institutor Paulus doctor gentium non abs re vocatus seruare potuit:sola Romana Ecclesia fuit atque est, ad quam in religione defectus,aut in fidę perfidia accessum nunquam habuerunt. Vnde non abs re inferorum portæ (per quas defectionis interitum intelligit Eusebius) contra ipsam nũquam præualituræ dicnntur. Vnde factum etiam est, vt ab omnibus sæculis Ecclesiæ aliæ ab aliis diffidentes, ad eam solam, vt ad communem matrem atque constantissimam veritatis hospitem confugerint. Quæ si non tantum vera,sed conspicua cuiuis esse omnium temporum historiæ testantur, nullam sanè amplius de Romanæ sedis primatu dubitationẽ apud vllos remanere posse, & proinde Scoticanam cõgregationem quanto ab ea defecisse longius gloriatur, tanto magis à veræ Ecclesiæ vnitate quæ extra ipsam seruari non potest, vel suo ipsius testimonio abesse, certo apud te cõstitue: Vna quidem parte ministrorum in reiecta vnitatis causa ipsam quoque vnitatem aperte reiiciẽtium verba tecum recolens: at altera Chalcedonẽsis concilij decreto vnà cum patribus in eo congregatis non tam ore quam corde succlamãs, ita te credere, vt leo Papa credit, ita interpretari, vt ille interpretatus est, ita denique sentire, vt leo in omnibus piè veréque sentit. Id quod non mo-

do te, ſed quemuis alium qui vllis rationũ momentis ad intelligendam veritatem permoueri poteſt, cogitaturum non dubito: vbi argumentorum allatorum vis diligentius expenſa fuerit. Nam cum Eccleſiæ omnis vnitas ab vnius Pontificis primatu dependeat: cum ego primatũ nõ tãtum cõſentaneis, ſed neceſſariis & euidẽtibus argumẽtis ſic cõfirmatũ, imo demõſtratũ dedi: vt quod dicant in aduerſam partem aduerſarij quãtumuis pertinaces reliquum nihil habeant. MIS. Satis quidem abundè & rationibus validiſſimis non tantum vtile, ſed etiam neceſſarium eſſe, vnum aliquod caput oſtendiſti: quo vnitas diu in Eccleſia aut cœtu aliquo teneatur. Quapropter cum noſtri proteſtantes tanto ſtudio illud auerſentur, vt illius cauſa Epiſcopatum inſuper & omnem ſuperiorum ad inferiores ordinem è medio tollendum contẽdant: planum per ſe ſatis euadit non aliam in ipſis vnitatem retineri, quàm in ſcopis diſſolutis, quæ non modo in nullo communi trunco aut radice cohærentes, ſed ne ab externo aliquo vinculo colligationem habentes ſponte ſua, nullo etiam ſoluente diſſiliunt. Ad ſecundam igitur ſanctitatis proprietatem in noſtris hominibus examinandam procede, quam ſi pari euidentia ab iiſdem remoueris (quando in ea præcipuè ſe efferunt) de iis ſane quæ ſequuntur perparuam aut potius nullam quæſtionem futuram arbitrabor. EPIS. Atque non parem tantum in vindicanda ſanctitatis proprietate euidentiam, ſed longe maiorem etiam facile pręſtabo. *2. Proprietatis applicatio*

Siquidem hîc non externis teſtimoniis, ſed ex ſua ipſorum cõfeſſione agam, iis in medium allatis argumentis, quæ non vllius auctoritas dedit, ingeniúmve excogitauit: ſed res ipſa peperit, adeóq; nunc etiam quotidie partim in ipſorum miniſtrorum vita & morib⁹, partim in doctrina depicta ſuppeditat. Nam cùm omnis de ſanctitate duplex ſit ſermo, vnus vitæ puritatem, alter inuictum conſtantiæ & firmitatis robur reſpiciẽs: vtrumque vt ſibi aduerſum, & illi meritò refugiunt: & ego in præſenti cauſa ſic obuium & facilem habeo, vt res ipſa nõ modo nullo artificio illuſtrata, ſed ne verbo quidem expreſſa, per ſe tamen vtrinque diſertiſſime loqui videatur. Quod enim robur (vt inde primũ incipiam) aut quæ cõſtantia, in ea non dico religione, ſed religionis leuiſsima opinione eſſe aut videri poteſt: quæ infra 17. annum in populum ſparſa ſua ipſius vanitate concidere, atque euaneſcere nullo etiam impellente nunc incipit? Quod tempus licet geminetur, tamen perbreue foret ad aliarum hęreſum durationes multo longiores comparatum. Arriana hæreſis nõ duplum, ſed quadruplum aut eò etiam plus temporis occupauit. Quid? quod paſſim in Orientali Eccleſia, damnata Catholica religione, & eiuſdem profligatis Epiſcopis per centum plus minus annos ea ſola obtinuit. Neque tamẽ ob id cum Romana Eccleſia perpetuitatis, aut firmitatis nomine ſe comparare vnquam eſt auſa. Simili modo Donatiſtæ, Euchitæ, Ætiani, Iouiniani, Vigilantiani, Petrobutiani, & ſexcẽti

Comparatio Arrianorum cũ noſtris haret.

alij erant quidem omnes, singuli suis temporibus Ecclesiam diuexãtes: at nusquam nunc existentes fundamẽtum erroris cui olim nitebantur iam diu prodiderunt. Et tamen idem nostris hominibus commune esse fundamentum, licet doctrina eadẽ, & mores prorsus cõsimiles arguant, pestifera quoq; & lethalis ab Ecclesia discessio cõuincat: alium tamen quam illi consequuti sunt exitum sibi promittũt! ac non potius quando in eodem hærent errorum luto, ab iisdem demum deuoratos sciri intelligunt, ac eò sanè citius, quò non quorundam tantum ab aliis prius contra Ecclesiam defensorum errorum, sed omnium pariter in vnum aggregatorum patroni existunt. Quod verum esse & solemnibus ipsorum sermonibus publicatum, & scriptis insuper æditis consignatum extat. Non igitur rubus isti sunt, quemadmodũ neque illi fuerunt, in quo quia dñs erat, ipse licet arderet perpetuò, nunquam tamen consumebatur: sed spinæ aridæ aut exsiccatæ verius stipulæ & illi olim erant, & hi adhuc sunt. Quæ ad lędendam domini aream accẽsæ, ipsas se tanto citius consumunt, quanto ardentiore flamma aduersus dominum & ipsius Ecclesiã conflagrant. M I S. Quando doctrinæ capita inter nostros homines vulgari solita apud me recolo, simul etiam & temporis recordor, ex quo eadem inoleuerunt, dicere non possum quãtumuis vellem, quin & hoc verè abs te descriptũ sit, & illa ab iis mordicus defendãtur. Quare si eadem cum notatis prius abs te hæreticis communia habent

consentaneum equidem esse arbitror, vt communia alia omnia habentes, fundamentum, inquam, principium, & incrementum, communem etiam cum iisdem finem sortiantur. Sed quoniam fortè non tam habent vnde de firmitate & cõstantia quàm de vitę puritate gloriari possint, ad eam, quæso, tuo collato sermone quanta in iis sanctitas vitæ reluceat vicissim expende. EPIS. Si vitam & mores spectes vel ipsis ministris palam fatentibus nulla in vllo ordine integritas cernitur, quin pro fide perfidia, pro frugalitate luxus, pro simplici candore fraudulentum fallendi studium, ac omnino in omnibus tum per fas, tum per nefas habendi ardor insatiabilis regnat. Iam verò semel partis sic abutuntur, vt fœdiúsne consumantur an iniustius corradantur nescias. Certè contemptus fratrum egentium tantus támque superbus existit, vt qui aliorum inopiam subleuare nisi cum suo lucro velinr: ne vnus quidem inter mille deprehẽdatur:. Postremò ariolãdi studio sic sunt impiè addicti vt deo relicto, diabolo passim mulieres iuxta & viri sese emãcipẽt. Quæ ex ipsorum confessione dum profero capira tantum noto, ex quibus tamen non obscurè, quàm iustam gloriandi in sua puritate materiã habeant, vel ipsis arbitris constare potest. MIS. Hæc quidem in priuatis hominum moribus vitia reperiri (præcipuè inter populi primores) ministri ipsi forsitan non abs re queruntur: sed quando quod ad omnes pertinet, in omnes itidem cadere debet, non vnam populi partem,

Vitæ puritas ĩ impuritatem degenerauit.

sed

ſed totũ populum, ſimul & ductores eius principes, impietatis peragendas eſſe memineris. Sic enim accuſationem inſtructam vim & locum habituram eſſe exiſtimare par eſt: ſi reipſa veritati teſtimonium perhibente, infimam plebeculam cum ſuis primoribus eiuſdem impietatis ream, eadem inuoluerit. EPIS. Si quiduis agendi & audendi libido, effrenatæ in populo licentiæ, ſummæque contra honeſtos omnes mores diſſolutionis, argumentum ſatis ſufficiens eſſe poteſt: quin totum populi ſtatum peruerſum, mecum quiuis æquus veri æſtimator iudicaturus ſit, minimè ambigo. Præſertim ſi hos ſublatæ diſciplinæ atque inductæ in populum Scoticanum veſaniæ gradus, prudenter, & quo decet iudicio ſecum reputauerit. Principio enim non obſcurum licentiæ argumentum in eo extitiſſe videri meritò poteſt, quòd plebs incommodos illos libertatis propinatores ſemel nacta, legibus ipſa ſe & magiſtratuum imperio ſoluerit. Nam quanto vilioris conditionis plebs eſt, quàm nobilitas: tantò ea ipſam audere, quæ ne animis quantumuis generoſis condonanda eſſent, vt mirãdum magis, ſic minus ferendum fuerit. Deinde verò non paruum licentiæ incrementũ tum acceſſit, quãdo quaſi mutata ſemel religio, viuendi quoque ſortem ſibi cum dominis commutatam attuliſſet, quas prius capere plebecula ſolita fuit eaſdem viris principibus dare leges nõ dubitauit. Poſtremò maximum omnis licentiæ cumulum adiectum tum eſſe vere quis affirmauerit: quando non

H

tãtùm de bonis nobilium populus, & in eo infimus quisque statuebat, & de capite sæpenumero sententiam dicebat: sed iuris omnis Ecclesiastici pariter & ciuilis, id est, diuini & humani determinationem, pronunciationem, executionem vendicabat, ex nobilitate hunc quidem regno & auitis sedibus profligabat, illum Ecclesia & sacramentis prohibebat, tertium denique, ne suã ipse causam dicere aut per literas etiam se defendere posset, foro arcebat: in omnes denique (cuiuscunque ordinis essent) cæco furore & impotẽti libidine superbissime grassabatur. MIS. Inuersum rerũ ordinẽ refers, in quo (quod in pueibio dicitur ἄνω ποταμῶν ad fõtes flumina redire appareat. Et sanè (vt quod sentio dicã) Atheniensiũ aut argiuorũ populũ in ciues suos sæuiẽtem, non vllũ legibus & imperio parere solitum descripsisse mihi videris. EPIS. Atque si non tãtùm publica loca occupare, sed in priuatas quoq; ædes irrepere, adeóque ad ipsa etiã bruta animãtia peruadere, insitã hanc obediẽtiæ impatientẽ licentiã animo concipias illud longe magis dices. MIS. Quid ita verò? EPIS. Certè quia cum nemo sit, qui non plura sibi licere in tenebris, quam in luce putet, quò priuatum cuiusque ædificium, quam templum aut forum obscurius est, pluresq; recessus habet, eo ineptiora meritóque magis ridenda licentiæ exempla in eodẽ committũtur. Quod vt clarius intelligatur (quoniam liberæ nostræ cogitationes sunt) age licẽtia ista à foro in priuatas ædes deportata, qualis popularium

nostrorum opinione quidẽ sua triumphãtium, at re vera insanientiũ disciplina sit, paulisper experiamur. Ac primũ eam priuatæ institutionis formam animo concipe, in qua qui iuuentuti moderandæ præsit, eos qui superioribus parẽt, vt seruilis ingenij nulliúsque pretij obiurget. Rursus vero qui principes non tantũ infra subditorum ordinem redigẽdos, sed cum vrsis leonibus & immanissimis, quibúsque belluis conferendos, eadémq; & cõmuni lege tractandos esse publicè & priuatim edoceat. Tũ autẽ interiora domus sic institutæ penetralia ingressum, hæc quæ sequũtur cõspicari te finge. Patrẽ videlicet filiis similẽ factũ, eos à quib⁹ metui & venerari eum deceret, vice versa reuereri: filios è cõtra vt quàm maximè liberi esse, nullúmq; dominũ supra se habere videãtur, patris vocẽ superbissime aspernari: inquilinũ & peregrinũ in libertatis iure ęquari: præceptorem à discipulis sibi metuere, eóq; noĩe iisdẽ blãdiri: discipulos vicissim eos quorũ voci obaudiẽtes prius erant nõ tãtùm aspernari, verumetiã libere in eosdem, adeóq; insolẽter insultari. Ac vt semel dicã iuniores oẽs seniorib⁹ & mãcipia quæq; vilissima ac tãtum non beluas ipsas dominis & factis & verbis aduersari. Hęc, inquã, & his alia multa similia vbi cõspicatus esses, an non licentiã inordinatã, quęq; cõtra sanctitatẽ & honestos mores ex diametro pugnet cõfusionẽ summã videre te diceres? MIS. Ego verò non libertatẽ, sed dissolutionis omnis portẽtũ videre me in tam horrẽdo spectaculo affirmare non dubitarẽ. In

Inordinatæ confusionis imago.

quo tamē nostrorū hominum mirificè depictā imagin esse toties negare non possum: quoties ad ea enormitatis exēpla quotidiana, quæ passim fere & vbique locorū designata, & ab ipsis insuper cōcionatoribus oblique notata erant, oculos conuerto. Sed qua demum ratione ad inferēdam in ministrorum ordinem maculam, quæ ab omni sanctitate alienos eos esse conuincat, valere ista poterunt? Nàm qui illa insectantur grauissime, tantum abest, vt inde labem aliquam contrahant: vt tanto puriores iidem existant, quanto vehementius in omnem impuritatis speciem inuehuntur. EPIS. Næ tu quidem longissimè falleris, ministrorum ordinem ab istis vitiis purum arbitratus, quæ non tātum vita & factis ante, atque supra alios omnes exprimunt: sed verbis suis olim & sermonibus artificiosè instructis alios accēdentes, ad eadem classicum dederunt. MIS. Isthuc verò quando & quo pacto? EPIS. Postquam nimirum satis magnam apud populum, tum gratiam, tum auctoritatem in Ecclesiasticos viros debacchando cōpararunt: dogma istud in vulgus spargere cœperunt, armatam plebi esse dextram à domino: nec aliter quā si domini rerum constituti essent, publicorum monumentorum passim delendorum ius & potestatem sibi datam: bonorum insuper Ecclesiasticorum possessionem legitimam non ad dominos, sed ad ipsum spectare populum. Quod vtrumque impudenter quamuis mentiebātur, mirum tamen quanta plausibilitate & illi docuerūt, & omnes

Primā et maximā confusionis causā à ministris profluxisse.

Noui euāgelij publicandi exordiū.

ordines idem arripuerunt, Non hercle aliter q̃ Mahometes olim in Oriẽte totas regiones nimiæ ſubiectionis argumento, quam ſub prioribus regibus perferebant, ad defectionem ſollicitare potuit: ita illi iniuſta decimarũ (vti tum paſſim dictitabant) exactione, plebeculã ſimul inferiorem, ſimul & potentiores in Eccleſiaſticos viros & Eccleſiæ bona armabant. Quanquam & Mahomete ipſo ad perſuadẽdum potentiores ob id videbantur, quòd idololatriæ nomine in priore Eccleſia verum Dei cultum damnantes, ſpecioſis, quamuis perperã accommodatis ex veteri Teſtamento exemplis, abundabant. Quæ cùm ad extirpãdũ id omne quod idololatriæ affine eſſe diceretur, apprime ſeruire videbantur: tum eadem exaggerandi nullam artem nullúmque ſtudium exercitati iſti artifices prætermiſerunt. Ita factum eſt, vt inſanis illorum inuectionibus, in furorem verſi homines, non aliter atque Thebarum quondam mulieres à Dionyſo exagitatæ, non tantùm in bona Eccleſiaſtica inuolarẽt, ſed id omne quod ſacris eſſet dicatum vſibus, ſine lege, ratione, & modo vi diriperent, diruerẽt, flammis denique & ferro abſumerẽt. Hac rabie ſubito ſacrę ędes exuſtæ, altaria ſubuerſa, tecta diruta, mœnia ab ipſis fundamẽtis euerſa fuerunt. Sed ne ſic quidem ſubſtitit furor quin Sathanæ miniſtris aliis iubentibus, aliis mandata exequentibus calices in quibus ipſe domini ſanguis cõſecrari ſolitus erat conflati, veſtimenta ſacra, ſanctorum reliquiæ, ipſum denique Christi corpus conſecra-

Mahometani ipsũ ministri vincunt fraudib⁹.

Eiusdem euangelij fructus.

tum profanis primum manibus tractabantur, per compita deinde ad ludibrij speciem trahebantur: postremò flammis indignissime absumebãtur. In quibus omnibus (vt quod minimũ est dicam) quin impuram illã puritatem quam Donatistæ olim falso itidẽ prętendebãt ter scelere vicerint, ne ipsi quidem authores quę facta sunt cũ iis quæ à Donatistis facta dicebãtur leuissimè conferentes, dicere possunt. Donatistæ (vt est author Optat. lib. 6.) altaria raserũt, nonnulla etiã, sed pauca, fregerunt: hi nostri (si diis placet) puri homines eadem omnia subuerterunt. Donatistæ confractos calices in massas redegerunt: nostri conflarunt. Donatistæ reliqua vasa in pios & sacros vsus destinata, omnia seruabant: nostri quæ alicuius pretij essent diuendiderũt, alia flammis absumpserunt. Donatistæ sacram paginam summa veneratione sunt prosequuti, quid? quod eiusdem profanationem detestandam arbitrati, ab iis omnibus qui eam tradidisse dicerẽtur, se separarunt: at nostri eandem in templis repertam passim aboleuerunt. Sed ne his quidem contenti sanctorũ reliquias per ludibrium in scænam productas, sacrosanctum deniq; domini corpus (ô scelus) profanis attrectatum manibus igni iniicere ausi fuerũt. Quis eos qui talia támq; nefanda sacrilegia cogitet modo, ne dicã designet puros habeat: aut non potius impuritatis omnis, furti, rapinæ, sacrilegij, aut si quid etiã his grauius in Deum aut hoĩes crimẽ cõfingi potest reos statuat? Atq; horũ omniũ patrandorum non solum aliis au-

Comparatio nostrorum ministrorum cum Donatistis.

thores ministri extiterũt: sed pleráque etiã suis ipsi manib⁹ designarũt. At forsitã in iis quæ ad Deum eiúsq; cultũ pertinẽt propter diuersam religionis opinionẽ transgressores deprehẽsi, in aliis quę cõmunem hoĩnũ societatẽ spectabãt, fidẽ integritatémq; tum ipsi seruarũt, tum neutrius violandę authores aliis extiterũt. Certè vt taceã eos qui diuinã maiestatem non reuerẽtur, nulla erga hoĩnes religione teneri posse, si quicquam hic in iis sani integríque reperiatur, per me licebit reliqua ipsorũ facta omnia, tum in Deũ, tum in hoĩnes purissima habeantur. Nam cum maximum cõmũnis societatis inter omnes vinculũ in legibus positum esse constet: his autem ritè administrandis apud nostrates duplex præesset magistratus: leges primum omnes ad frænãdam populi insolẽtiam, omnésque in ordine cõtinendos impositas vno verbo sustulerunt dicentes, nullam legem ratam esse debere, quæ non ex pagina sacra noui nimirũ & veteris testamenti desumeretur. Ita factũ fuit, vt apud populum nullius rei æque atque libertatis auidum, fractis legum repagulis, & inducta noua quiduis pro libidine faciẽdi potestate, non ius, nõ fas, non fides data locũ vllũ obtineret in his, quę impunè se facere posse quispiã sperabat. Inde quod solũ in magistratu ad prohibẽdam iniuriam subsidium remãserat, id callidè & sensim subuertebãt. Primũ enim Ecclesiasticã oẽm potestatẽ religionis noĩne traducebãt, indignũ esse dicẽtes, & minimè ferẽdũ, ꝙ Christiani iam ipsa Euãgelij voce liberi facti, idololatrarũ seruituti

In Deum impij si aliis mulierga homines iniusti existunt.

Protestãtium Maxima, & confusionis popularis fundamentũ.

Quibus gradibus ad inducendam cõfusionẽ procedebatur.

& ſententiæ ſubiiceretur. Qua quidē ſententia ſæpius inculcata apud factioſos iámque in Eccleſiaſtica bona inhiantes facile obtinuerunt, vti Eccleſiaſticos viros officiis ſimul & facultatibus exutos, alios in exilium eiicerēt, alios carceri includerent, alios demum ferro & cruce perimerent. Inde verò per Eccleſiaſticorum virorum ſic à ſedibus ſuis diſturbatorū colla, iidē gradu facto in ſolium regium clam & occultè pertranſibant. Quāquam enim de ſolis Eccleſiaſticis viris iſtam ſuam præclaram ſentētiam intelligere principio videri volebant: tamen vbi his ſublatis viam ſtratam ad pertrahendum in populi odium, ſummum magiſtratum videbant: mox claſſicum dant, quo populum ſimul & regni proceres ad monēdum vnum, alterum verò ſubrogandum magiſtratum excitarent. Iámque parum res aberat, quin pro regia poteſtate popularis confuſio induceretur. Certè eò tendiſſe inſanas illorum ad populum cōciones, ſaltem vt non ex ſucceſſionis iure, ſed populi electione princeps daretur, palam tum temporis omnibus fuit. Nec vt in aliis ſic in vno hoc capite, ſentētiā ſuā miniſtri pro ingenio voces fingendo ac refingendo, diſſimulare poſſunt. Quippe primorū ſuorum in Scotia legiſlatorū (quos, vt Moyſem alterū, alterúmq; Aaronem habent, & quorum placita tanquam à deo profecta oracula acceptant & venerantur) ſcriptis, non tantum verbis obſtricti tenentur. Eorum enim vnus velut alter quidam Moyſes non ex Nili aquis extractus, ſed Lenoxiis mōtib⁹ natus

Per Eccleſiaſticorū colla, via ſterneba- tur ad principē.

Proteſtātium in Scotia legiſlatores.

& educat⁹, postea vero pro Chaldęorũ ſapiẽtia Caluinianã inſipiẽtiã aut dementiã potius apud gallos imbibens, & eandẽ in Hiſpania abiuratã ſemel, in Scotia denuo repetens, præclarã ſuam politiam in dialogo de regno expreſſit. Vbi myſteria Caluinianæ ſectę detecta (vt aiunt) fronte recludens, principem (ſi quando deliquerit) nõ tantum in totius populi poteſtate eſſe, ſed ab vnoquoque priuato non aliter ac vrſum aliquem, leonem, aut aprum interfici debere affirmat. Alter etiam adhuc audacior in libro de regimine mulierũ (cuius auctor videri ipſe voluit) alterum veſaniæ caput adiecit: quo non tantum mulierum imperium illicitum eſſe probare conatur: ſed ſublato legitimæ ſucceſſionis iure, eius loco inferendam electionem paſſim inſinuat. Nec vero in hoc gradu conſiſtere ſatis habuit, niſi vna voce magiſtratum omnẽ è medio tollere, neque ſe vlli ſubiectum eſſe velle, clare profiteretur. Id verum eſſe nemo melius, quàm tu ipſe, teſtari poteſt, qui in ſolemni illo conſeſſu, in quo eum falſi conuincebas, hanc abs eo prolatam & in notarij publici acta relatã proteſtationem audiuiſti: qua dei ſeruos (ſic enim impius apoſtata ſuos id eſt ſatanæ filios appellare auſus eſt) nulli vel rectori vel vniuerſitati, nõ epiſcopo, non archiepiſcopo, nõ principi, non pontifici, non denique concilio ſubiectos eſſe palam affirmauit. Quæ ab eo ſæpius per contentionẽ vſurpata, non tantum tui ab accuſatione (quam intendebas) deterrendi cauſa, ſed eò maxime abs illo referebantur: vt poſt

Magiſter Georgius Buquhananus, quam in Hiſpania abiurauit hæreſim, in Scotia repetit.

Ex preſbytero, apoſtata factus Ioãnes Knoxeus in effigie priùs combuſtus.

Scriba publicus M. Ioannes Robertſon.

legum repagula refracta, & deiectas poteſtates interiores, magiſtratum inſuper ſummum loco mouere poſſet. Ad quam ſummæ poteſtatis deiectionē, ſic ille, ſic eius veſtigia ſequuti miniſtri omnes ſummo ſtudio adnitebātur, quaſi in ea ſola laborū omniū finis & prædicationis ſuæ fructus poneretur. Eam verbo poſtquā ex ſententia perſuaſiſſent: erecto iam ſolio contra ſolium, itáque illa opera ſchiſmate nefario in patriā inducto, ciues in ſuos conciues, & patriam prius ſemper principi obſequentiſſimam, tū aduerſus principem, tum in ſua ipſius viſcera cōcitabāt. Atque hæc quidem præclara miniſtrorum facinora, hæc cōſilia, & res geſtæ ſunt. Quę quantum ad communem vitæ ſocietatem retinendam, aut eandem potius rūpendam penitus & è medio tollendam conferant, tuū aut cuiuſcunque alterius eſto iudicium. Certe quæ dixi (quāquam quę in patrię perniciē impie machinati ſunt, omnia dicere nō potui) vere ab iis authoribus profecta eſſe, non tantum rerum præteritarū recens memoria, ſed infamis illius parliamenti, quod reginę eiectionē ſequutum fuit acta, quiquę adhuc pari veſania in populū ſparguntur ſermones cōtra patrias leges, cōtra principem, contra deniq; omnē pietatē, plane euincunt. MIS. Pleráq; eorum quæ attuliſti, vel ex eorum ſententia concedere poſſe mihi videor: quippe templorū, & altarium ſubuerſionē, inſtrumentorúmque ſacrorū abſumptionē, addo etiā rituum & magiſtratuū, quos ipſi Papiſticos vocāt, abrogationem, non tantū non negāt, ſed

Miniſtrorum trophæa.

eadem sua clarissima trophæa esse ducentes triumphantium more præ se ferunt. Iam vero quod ex eorum libris & protestationibus palá factis modo retulisti, id ita esse litera (quod aiunt) scripta testatur. At quod bona itidem inuadere Ecclesiastica suaserint, cõcedere iidem non sinunt: maxime quando nihil omnium nunc est, quod grauius insectéur, quàm quòd decimæ Ecclesiæ vsibus ereptæ ab aliis nullo iure eas occupantibus diripiantur. EPIS. Id in eo patiuntur, quod homines præ odio, ira, aut appetitu parum prouidos perpeti est necesse. Nam vt indocti venatores, temere immissos in ferá canes priusquá dicto audiétes fecerint, frustra pro eripiéda è dentibus prẹda laborabũt: sic quod arripuerũt semel (ministrorũ quanquá suasu & authoritate inducti) téporales viri vt idé denuo in ministrorũ manus trásmittát, difficilimè adducũtur. Quæ res sola est, quæ ipsos excruciat. Neq; ení bona veterib9 dominis legitimè erepta fuisse, idq; ipsis iubétibus negabũt: sed quod in eiectorũ possessiones integras ipsi non sufficiantur, id cõtra pietatem, & leges fieri affirmát. Quod ita esse quando res ipsa testatur, & ministri non dissimulát: non est quod dubites, quin vt aliorum criminum, sic & huius vsurpationis bonorum Ecclesiasticorum quantumuis iniustę causam iustissime sustineant.

Decima prærepta & per quos.

MIS. At qua tandem arte res vt videri potest factu tá difficiles ac prope impossibiles perfectas reddiderunt? Insigne náque artificium esse oportuit quo homines tenues, nulláq; potestate

authoritateve præditi,non tãtum post se populum trahere,sed proceres regni armare,ordines inter se committere, post viros Ecclesiasticos populi pastores, principẽ ipsam regno exturbare potuerint. EPIS. De modo aut ratione quid est quod quæras:quando relicto domino populus omnis in scelera quæuis per se satis propendet:neque ad decipiendum diabolo artes innumeræ eædémque efficacissimæ deesse possunt. Factus namque ipse spiritus mẽdax in ore prophetarum suorum, per illos suos ministros versutos & callidos,simplices & quidnam rerum ageretur principio prorsus ignaros ab Ecclesiæ matris vnitate, alios alia commoditatis specie abduxit. Aratores quidem rustici, atque rudes quòd decimarum exactione liberatos se iri ea ratione sperabãt, relicta Ecclesia facillimè in aduersas partes pertransibãt. Agrorũ domini & Barones quòd quisque Ecclesiasticorum bonorum partem aliquam ad se peruenturam arbitraretur, suis singuli rusticanis præibant. Proceres demum & magnates, quód alij binis, alij trinis sacerdotiis inhiabant reliquis se antesignanos præstiterunt. Ita factum (est si modum quæris) vt singuli ordines non quidem inuiti, sed auaritia excæcati, & falsis decepti persuasionibus contra Christum & ipsius Ecclesiã pugnaturi in aduersa diaboli castra pertransirent. Quo vbi perducti sunt, quid quæso cuiquam mirum vederi debet, quòd hæc quæ dixi scelera in suos pastores, in principẽ, in suã denique perniciem designantes, erga pastores

Quid quẽque ordinem, ad hanc confusionem primum induxit.

quidem ingrati & crudeles, erga principẽ perfidi: at erga ipsos se plusquam immanes extiterint? MIS. Nihil sane, vt miserorum & in perditionem suam vltimã sese prȩcipitantium valde, iuxta atq; res ipsa postulat me misereat: Sed dic quæso num effici posse aliqua ratione credas, vt quemadmodũ ab Ecclesia vltro quidem, quanquam decepti, defecerunt: sic salubri aliquo illecti incantamento ad Ecclesiam denuò volentes redeant. EPIS. Opus non humanæ industriæ mihi crede, sed diuinæ potentiȩ & virtutis erit, vt qui rectam viam impio ausu reliquerunt, ad eandem denuo participandam reuocentur. Neque aliter quam qui vltro sibi mortem consciuerunt, ij in vitam denuò redire, neque per se, neque aliorum quorumuis hominum opera possunt, ita qui vitæ illius spiritualis (quæ in sola Ecclesia vera est) vsu se abdicarunt, eundem nisi singulari dei beneficio recipere nequeunt. Spes tamen multa mihi est per dei misericordiam futurum breui, maximè si rebus præsentibus recte vti velint, vt tum suã miseriam, tum patriæ miserabilem faciem, tum denique eorum per quos in hunc perditionis laqueum inducti sunt impuritatem inauditam prius, ad oculum videntes resipiscant. Ecce autem quam contra ac plerique rationem recolligo: nam quod alij argumentum capiunt, deploratam eorum omnium salutem esse, qui quò illi impietatis progressi sunt: idem ego ad celerioris conuersionis spem conuerto, maximè quando per dei bonitatem nudata nũc sic sunt

Quæ rerũ reparandarum spes.

omnia quæ recta prius tum in politica, tum in Ecclesiastica administratione erant, vt ni studio quodam obstinato oculos claudere velint: clare quònam singula olim referebantur videre nūc singuli possint. Nam neque ad patriæ, neque ad Ecclesiæ reformationem, sed vilissimorum quorumcunque superbā & indignam dominationem instructa prius cōsilia spectasse, fines illi ad quos nouandarū rerum authores perspicuè olim cōspirarunt, & in quibus acquiescendum nunc esse sibi arbitrantur, facile indicant. Accedit huc quod laruata illa pietatis species in ministris ipsis iā pridem detecta est: in quibus cùm non ea quæ sperabatur vitæ puritas, sed abominā da spurcities cōspicue cernatur: aut ego longissime fallor, aut hinc omnib⁹ per ignorantiā prius lapsis, prima ad sanitatē reuertēdi occasio dabitur. Nam quæ vitæ mollities, luxus & intēperies omnibus inest, nō eos esse dei seruos, qui per ieiunia: & salutares corporum castigationes puritati studeant: sed vilissima Sathanæ mancipia quæ vētri obedientia, & veneri omni studio seruientia nō tam natura quam volūtas deprauata effinxerit, planū cuique inspectāti esse potest. Rursus quæ eorundē auaritia & habēdi ardor, pro deo vero huius mūdi māmonā in corde se colere facile produt. Denique quæ in ipsis non tam vitia quam vitiorū portēta cernuntur, Sathanico eos repletos esse spiritu palā faciunt. Postremo infœlices vitæ exitus, & plusquā tragici in plerisque illorū fines vltimi: totū ordinē, cōmunem cum Dathan, Chorā, & Abyram

Rerū nouatores non religioni studebāt, sed regno inhiabant.

causam, nō aliter nunc fouere cōuincunt: quàm post hāc vitam cōmunia vtrisque supplìcia fore, cōsimilis mortis species, & pariter tremenda prænunciat. Sed quoniā quæ partim abominādam vitæ immunditiē, partim horrēdam mortis speciem euincant, exēmpla inter eos cōplura quotidie, eaque non sine magno videntium stupore in omnium oculis cernuntur: ea silētio potius præterire volo, quā eadē efferendo, illa scriptis mandare quæ lecta, piorum quidē tantum aures, at aliorum forsitam & animos offendere possent. Vnus est inter omnes corypheus quem & ipsum vtinam absque multorum in religionis causa dāno plurimo prætermittere possem. Cui quoniam nostræ gentis plerique, neque ipsius ingenium, neque Sathanæ in suo instrumento artificium satis edocti, pietatis testimonium deferunt: operæprecium fuerit quibus artibus istam sibi conflarit opinionem paucis cōmemorare. Obscuris natus parētibus in Hadintona oppido in Laudonia nec vllis in adolescentia institutus literis, quò victum sibi pararet magis, quam vt deo seruiret (Simonis illius magi huc vsque sequutus vestigia) presbyter primum fieri de more quamuis illiteratus tū in priuatis ædibus puerorum in vulgaribus literis formandorum curam capere coactus est. Animo interim tā vasto, & ingenio sic inquieto fuit, vt neque pro ortus sui loco, neque pro genere, neque pro educatione, vitæ conditionē sortiri satis haberet: omninóque nullam sibi satis magnam fortunam fore existimaret, quæ

Presbyter Ioannes Knoxeus Ecclesiæ Scoticanæ incendio nobilitatus post qualem vitam, quā horrēda mortis specie sublatus.

omium rerum immutationem secum non introduceret. Hoc consilio vulgares & imperitiæ plenos libros, quibus virorum Ecclesiasticorũ partim vita, partim doctrina carpebatur lectitare, atque inde linguam nouis aliquot, & vulgo prius inauditis vocibus locupletare incipit. Mox paginas aliquot memoriæ mandans iis quibuscum familiariter vixit, præsertim fœmiminis non amplius elementarius institutor, sed nouæ cuiusdam, & purioris religionis professor videri volebat. Hinc cæso per proditionem in sua arce Andręopolitana Betono Cardinale, optimam euulgandis suis paginis occasionem consequutum se esse ratus, protinus in eorum societatem se infert, qui crudelissimæ & indignissimæ pariter cædis authores, sanguinem nondum ablutum in dexteris suis portarũt: certò sibi persuadens nullam esse tantam inscitiam impietatémue, quæ si ipsorum horrendo sceleri patrocinaretur, non summæ pietatis loco ad lubesceret. Nõ ita diu post inde extract⁹ dignas meritis daturus pœnas, impellendis longarum nauiũ remis, cum reliquis adiudicatur. Vbi lõgo maris tædio, & laboris molestia extenuatũ quidem, & subactum corpus fuit: sed animi elatio eum subinde rerum magnarum spe extimulans, nihilo magis tunc quam prius quiescere potuit. Quippe ea expectatione effecit clam cum quibusdam communicata, vt familiarium facultatibus redemptus, qua vellet in Galliam, aut in Angliam libere proficisci posset. Anglia quòd noua illa in religione dogmata sub

Eduardo introducta fouerat, opportunior visa est. In eam ergo prius cōcedens, ad reliquam nouitatis doctrinam, hoc vnum furoris plenum caput adiicere ausus est fœminas regnare non debere. Quo in vulgus disseminato magnam apud imperitos cùm sibi authoritatem cōciliauit, tum seditionis materiam plurimam & periculosissimam suscitauit. Anglorum enim populus durissimis legibus principibus suis seruire coactus, cum primum ducem & authorem inuenit, quauis arrepta conspirandi occasione simul vniuersus ad arma conclamare solet. Eo fortè tempore imperij partes cum summo procerū fauore Regina Maria tenuit. Ea vt populū insanis indocti rabulæ concionibus in se concitarī, iamque in armis esse audiuerat: celeriter cōscripto equitum xercitu, procerúmque regni fulta præsidio, inermem vulgi turbam nec ordine, nec armis instructam fundit fugátque, ingenti in disiectos suos populares ædita strage, priusquam eques ad signa reuocari posset. Hoc perunctus sanguine vir sanguinis appetentissimus, mox se cum nobili & locuplete fœmina (qua simul & filia matris pellice familiariter vsus fuisse putabatur) Geneuam se proripit: vt Anglia eiectus noua mouēdæ in Scotia seditionis consilia excogitaret. Geneuæ quāquam inter doctos loco nullo per summam literarum imperitiā haberi potuit, adeoq; doctissimi cuiusque iudicio non tā pietatis aut religionis cuiuscunque sectator, quàm rerum temere nouādarum auctor studiosus putaretur: tamē refor-

matæ religionis prætextu inter eos, qui eadem hæreſeos labe infecti erant,aliquandiu delituit. Et cum in bonarum literarũ ſtudio per ætatem parum,aut nihil proficere ſe poſſe facile intelligeret,ab immundis ſpiritibus quaſi rerum futurarum gnaris, quorũ illuſionibus Sabbaudia tota maxime verò Geneua obnoxia dicitur,pauca quæ ſuo tempore in Scotia vſu ventura eſſent omni ſagacitate explorat,exploratáque memoriæ mandat:vt iſta olim venditando coram imperitis, nouus aliquis propheta à mortuis reuixiſſe crederetur. Inde mortua in Anglia priore regina,&altera in eius locum ſuffecta,Londinũ reuerſus,cum Iacobo Steuarto Iacobi quinti filio notho concreditur :ciúſque ingenium cùm ambitioſum,& turgidum,tum nouis in religione opinionibus addictum ſubodoratus,paululũ ſecretioris illius doctrinæ, quam Sabbaudiæ hauſit,veluti diuinitus ſibi reuelatum aſpergit: fore dictitans, vt illo in Scotia regnãte per ſuũ præconium libertati veræque puritati reſtituatur(ſic enim dicere auſus eſt) Euãgelij doctrina, quę tot prius ſæculis ſub non ferenda Papæ tyrannide exulauit.Quod dictum vt alter nõ aliter, quam ex tripode datum oraculum arripuit: mox factum eſt,vt illius ductu & auſpiciis veluti poſtliminio reſtitueretur patriæ hoſtis ter perditiſſimus.Principio tamẽ ſic verbis,vultu,geſtu pietatẽ ſimulabat,vt nemo aliud quicquã quàm Euãgelij propagationẽ abs eo quæri exiſtimare poſſet.At vt eiectis Eccleſiaſticis viris patriis ritibus cõuulſis, & labefactaris legibus, authoritatẽ ſuam confirmatã ſenſit:tũ vero ple-

no gutture venenũ prius occultatũ euomuit:ciues cùm in principẽ armauit,tum inter se cõmisit,postremo mutuis cędibus cãpos,vrbes,tẽpla (quantũ in ipso quidẽ erat) impleuit.Sic impius apostata peruersis scripturis in pios debachatus, sceleratis autẽ semper patrocinatus,in miserorũ ciuium funeribus lætus nõ paucos annos triũphauit. Tãdem quod grauioris iudicij mox sequuturi argumẽtum erat, rictus oris in longũ ad mirã vsq; deformitatẽ extractus, vt faciẽ canis referebat, ita eiusdẽ latratui vocẽ simillimã reddebat.Inde linguã quę potissimum nocebat vox destituit:nec ita diu post tabescente in dies corpore, mors patriæ gratissima sequuta fuit. Cuius hunc fuisse modum narrarũt ij qui interfuerũt,quique adhuc viuentis vltima excipientes verba prostratum subito corpus exanime, viderunt.Iacebat extremũ agens spiritũ,animo non tam in mortis, & peccatorũ meditationẽ, quàm in pręsentis huius vitæ,& ciuilis administrationis studiũ intento.Astabat turba non ita frequens,eorum modo qui ipsius sententiæ addictissimi eũ summi prophetæ loco venerabãtur. Hi quũ nõ aliter quam sacrosancta oracula ea quæ in vita dixerat omnia haberẽt, tũ quod ad superioris doctrinæ confirmationem, & ad suam ipsorum consolationẽ seruire posset, auide expectabant.Instabant igitur quò verba illa suprema prioribus digna & consentanea,ratione aliqua ab eo expressa audirent. Hic cum vltimam instare horam, & proinde nullum sibi amplius adiumẽtum dissimulatæ diu religionis

prætextum adferre posse intelligeret, Sabaudicæ illius disciplinæ quæ occulta prius semper habuit mysteria, palam & detecta vt aiunt fronte recludit, simul & iniustam potestatem confessus, quæ tum armis contra reginam eiectam defendebatur, simul & multa de reginæ reditu, & religionis restitutione post suum è viuis excessum profatus. Donec tandem scriba illius alioqui consiliis semper intimus, tam subito mutatam præceptoris sententiam miratus, & cũ morbi vehementia delirium pati arbitratus, à scribẽdo desistit. In quem ille cõtortis oculis, & multa verborũ asperitate sic inuehitur: Homo nihili cur cessas scribere, quæ mens præsaga in regnum hoc euentura præuidet? An mihi diffidis? an nõ quæ loquor omnia certo certius futura credis? At enim vt & tibi & aliis testatum reddam, quàm hæc quæ modo dixi explorata habeã: Ecce egredimini abs me omnes, & breui temporis momento ea omnia confirmata nouo, & inaudito argumento reddam. Subducunt se tandem quanquam ægre, solis in conclaui relictis luminibus accensis: & inde quasi prodigiũ aliquod accepturi, eodem denuo reuertuntur. Vbi lumina extincta, cadauer mortuum, ac in terram prouolutum vident. Hîc in tam horrenda specie attoniti & hærentes, vnus quidem extinctorum luminum vnam, alius aliam causam tacitus apud se cogitabat: at nemo quę facti absurditas videbatur, vel suam sententiam apertè dicere, vel quid alter sentiret sciscitari audebat. Tantũ demortuum corpus in lectulum repo-

nunt,inuicem sibi ne ista à quoquã palam fierẽt præcipiẽtes: ne quod ab absurda mortis specie, ad insimulandam impietatis anteactam vitam argumentum redũdaret.Sic nimirum peruerso amore eum prosequebãtur, vt mortis speciem, quam haud dubiè ad conuincendam impietatis superiorem vitam extare atque palam fieri volebat Deus,illi omni studio occultare,ac fructu omni qui ab ea cõsurgere debuisset,tum se tum alios fraudare pertinaciter contẽderent. Quanquam illud frustra fuit, Deo tũ à scriba ipso, nõ ita multo post cõsimili mortis genere sublato: tum ab aliis quanquam inuitis confessionẽ claram exprimente. Huic subiicere liceret alios quidem multos, qui consimilem vitæ rationem tenẽtes, finem vitæ neque lætiorem,neque specie meliorem sortiti sunt. Alios etiam qui licet eadem vitæ instituta ingressi sunt,communiáq; vt ille cum Diabolo colloquia pro futuris rebus explorandis habuerunt:tamen sub vitę exitum, facinorum admissorum clariorem confessionem ædiderunt, non tantum priuatas cum diabolo pactiones, & inita sæpius colloquia professi:sed quod illius suasu,& consilio primũ ad illicitas artes, tum ad nefariam perpetrandam cædem instigati sunt apertè professi. Sed quoniam ex eadem omnes schola prodierunt, communia insuper cum immundis spiritibus tyrocinia exercuerũt: non in talium portentorum descriptione longius immorandum esse ratus,ex hoc vno quale de reliquis omnibus iudicium habendũ sit,cuique prudẽti & prouido,

Scriba Robertus Kambel à Pinkincleuch.

Hi sunt Kellochus minister in Laudonia & Villochus nũc apud Anglos.

ſuæque ſalutis ſtudioſo poteſtatẽ facio. Cuius enim memoria tam fœlix eſt, quæ ad flagitia nõ dico omniũ, ſed paucorum, nõ priuata, ſed totius ordinis communia percenſenda ſufficiat? Nam ſi omnia Donatiſtarum ſcelera Optatus ne conſequi ſe quidem potuiſſe palam profitebatur, quanto minus quiuis huius tẽporis, noſtrorum *kænouãgeliſtarum* quàm Donatiſtæ olim erant ter magis ſceleratorum, impia in deum, & homines flagitia enumerãdo, deſcribere ſe poſſe putet. Quòd à Donatiſtis Epiſcopus vnus, aut forſitan alter deiiciebatur, impietatem inauditã fuiſſe, ſagittatos innocentes, exarmatos fideles, honore nominis ſui ſpoliatos eſſe ſacerdotes proclamare non dubitauit Optatus: & nos qui nunc viuimus, de publicis iſtis tũ pacis, tũ legũ, tum magiſtratuũ omniũ euerſoribus quid dicere, quidue ſentire tãtis illorũ flagitiis dignum poſſumus? Epiſcopũ nõ vnum, aut alterum, ſed omnes ſedibus deiecerũt. O iterũ atque iterum (vt cũ Mileuitano loquar) geminata impietas! Cathedras ſanctas ipſi tanquam ſæuiſſimi lupi occupantes, in miſeras oues crudeliſſimè graſſati ſunt, alias vorãdo, alias in ſe inuicem tãquam totidem canes armando omniũ, denique animas (proh dolor) lethali veneno perimendo. O ſacrilegium ſupra impietatem ter impium! Sanctũ Dei ſacerdotem, ſpiritualiſque iuriſdictionis primatem interficiendum, indigniſſiméque in crucẽ (quod nulli vnquã tyranni quãtumuis barbari in vnctũ domini prius in Scotia facere auſi perhibentur) agendũ curarũt. Quid dicam,

aut quod sacrilegio grauius vocabulũ cõminiscar, quod facti ipsorũ simul vilissimã indignitatẽ, simul & crudelissimã immanitatẽ satis exprimat? In soliũ deniq; regiũ violenter irruperunt, deiectóq; magistratu summo, nõ tantũ in Principis personã modis omnibus sæuiendũ esse edixerũt, sed de eiusdẽ anima (si diis placet) quẽadmodũ de iis omnibus, qui fidem integrã seruãris ipsius partes tutati sunt, condemnationis sententiam pronunciarunt: vt aliud reliquum nihil sit, nisi vt in cœlum ascendentes Christum suo throno detrudant. Nullum enim ordinem tam sanctum, tam salutarem, tam ipsius Christi imagine, & authoritate insignitum in terris intactum reliquerunt, quem non subuersum sub pedibus conculcantes cõfuderint, imo è medio prorsus sustulerint. Sed benedictus in sęcula Dominus, qui licet multũ lõganimis pœnas suas resipiscentiam prçstolatus differat: iustum tamen iudicem tãdem se monstrans, suppliciorúmque grauitate pœnæ tarditatem compensans, quam superbiæ illius, atq; discordiæ maculã supra flagitia alia quantumuis prohibita inpensius oderit, ipsa mortis horrenda specie, non tantũ priscis olim temporibus, sed nunc etiam omnibus aspicere volentibus manifestum fecerit. Neque enim dubiũ est, quin parricidiũ, & Idololatria duo capitalia crimina sint, contra domini præcepta duo (Non occides, & Non ibis post deos alienos) apertè pugnantia: ac proinde dignissima quæ seuerissime à Deo irato expientur. Et tamen & in priore Cainus & in poste-

riore Niniuitarum populus deprehensus, præsentes pro delicto pœnas effugit. Cainus quippe non tantum à deo non percutitur, sed ab altero occisus etiam vindicatur. Niniuitarum autem populus parui temporis ieiunio, & oratione indulgentiam promeruit. At qui inducto schismate dei populum scindere principio ausi sunt, ij vindictam domini cõcitatam, quæ nec parricidam, nec sacrilegos apprehẽdit, subito & sine mora se corripientem senserunt. Stabat ministrorum acies & multitudo sacrilega cum interdictis suis sacrificiis illico peritura. Ecce autem mandata terræ fames est, quæ statim fauces in populi diuisores aperiens, sublato omni pœnitentiæ tempore contemptores auido ore absorpsit. Intra nimirum momenti spatium terra fissa patuit, rapuit, clausa est. Et ne beneficium de mortis compendio consequi viderentur: dum non essent digni viuere, iis nec concessum est mori: sed tartareo carcere subito conclusi, ante sunt sepulti quàm mortui. Atque hæc quidem de primis schismaticorum parentibus, sumpta vindicta in veteri testamento legitur. Sed nihilo secius sub nouo testamento ipsorum filiis eadem repetita infligitur. Tantóque verius certiúsque, quanto in corpore, quàm vmbra, in veritate ipsa: quàm figura maior certiórque soliditas inest. Neque enim si terra minime nunc dehiscat, ob id minus repẽtina dei iudicia nunc in improbos Ecclesię diuisores esse, quàm olim erãt putãdũ est. Præsertim quando manifestis iræ suæ indiciis,

ſchiſmaticos ab aliis hominibus quantumuis flagitioſis,non tantum in reliquo vitę curſu,ſed in mortis etiam articulo diſterminet. Vt ex iis alios rationis [1] vſu priuari, alios in rabiem conuerti, [2] alios blaſphemo ore pietatem omnem abnegare, [3] alios damnationis ſuæ ſententiam adhuc viuos pronunciare, [4] alios demum in nictu oculi percuti, diabolo animam furibundam rapiente patiatur. Quæ miſeranda ſpectacula iuſto quidem Dei iudicioquotidie penè iterata,inter proteſtantium miniſtros quando cernuntur: tum eadem in aliorum qui ipſorum fraudibus decepti ſunt, ſalutem miſericorditer ædita eſſe conſtat. Nemo ſiquidem tam ferreo pectore eſſe poteſt, qui infauſtam illorum vitam, infœliciorémque exitum conſpicatus, fortíſque ſuæ & præſentis & futuræ, ſi cum iis talibus perſtiterit recordatus, nõ grauiter extimeſcet. Neq; aliter quam ſi cum Dathan, Chore & Abyron in aciem procedẽdum denuò foret,ad horrendam diuini iudicij voraginẽ ſectionis & diſcordiæ authores ſine omni miſericordiæ ſpe in momento abſorbentem exanimatus concidet.Fœlix profectò atque iterum fœlix is fuerit, qui impẽdẽtis periculi metu attonitus ab impia iſta turba, in qua ſalus nulla, ſed repentinus interitus eſt(dum adhuc tempus datur)ſe ſubduxerit:fœlicior,qui iſtorũ talium ſerpentum venenatis morſibus attactus nunquam fuit, qui verò ſpiritus virtute colluſtratus eorum errores detegere, & ora mẽdicia atque amaritudine plena,ne aliis noceant fræ-

1 M. Alexãder Spẽs miniſter Cuprẽſis in Fifia.

2 M. Dauid Coles, regens Leonardinus ĩ miniſtrorum ordine valde nobilitatus.

3 Ioannes Carnis lector Edinburgẽſis,cuius ſocius ĩ miniſterio impias manus toto inſpectãte populo ipſe ſibi intulit.

4 Adamus Heriot Aberdonenſis miniſter.

Nicolaus Spittel ex monacho factus apoſtata. Anguſiẽſis quidã miniſter ad Kingorne ſubita & ĩfauſta morte perẽptus concidit.

nare possit, longe fœlicissimus, & Ecclesiæ domini vtilissimus (meo quidem iudicio) censeri debet. MIS. Audio sanè & intelligo nũc tandem quo maxime argumẽto adduceris, vt contra quàm pleríque, rem breui in Scotia restitutum iri credas. Cùm enim (quod aiunt) leonina societas nullis commoda, & omnibus noxia & formidanda meritò sit: neminem mẽtis & consilij fore speras tam inopem, qui perspecta hinc quidem doctrinæ tantùm ad seditionem & legum omnium subuersionem tendentis impietate, illinc verò vitæ luxui & libidini seruientis impuritate; non sponte sua ab istis nominatis quidem vulgo ministris, at re vera infernalibus locustis sese subtrahat. Maxime si horrendum dei iudicium secum reputet, quo ęorum plerí-que in tristi ac infœlici vitæ exitu percussi, quã grauis damnatio in futuro sæculo omnes in eadem hæresi contumaciter perstantes maneat, euidenter & ad oculum cõmõstrarunt. Et tua quidẽ pręsens commonefactio (vt quod sentio dicã) ad eorũ celerem resipiscentiã non parum collatura mihi videtur. Quippe te eũ esse sciunt omnes, quem ex officio istas habere pro Christi Ecclesia excubias non tantùm decet, sed etiam est necesse. Deinde cuius neque vitam despicere, neque auctoritatem contemnere vel ipsi aduersarij possunt. Ac proinde ad nullum alium magis, quàm ad te descriptã prius fœlicitatem pertinere debere arbitratus, quàm potes sæpe, & acriter insta, non verbo tantùm, sed scripto etiam: quò quamplurimos de periculo suo ad-

monitos in salutis viam retrahas. Quoniam autem in examinanda secũda sanctitatis proprietate, quod non tantum veritatis studiosos iuuare, sed falsitatis etiã patronis ora obthurare possit, abundè abs te est allatum, nunc si ita videtur ad reliquas duas proprietates perge. Nisi fortè minus necessarium esse putes post vindicatas duas priores, in quibus maius negotium facturi aduersarij videbantur, in reliquis immorari, quas nisi verbo tenus ne ascribere quidem sibi conantur. EPIS. Si prius positis fundamentis, quæ certissima esse constat, insistimus, de iis quæ sequuntur vel verbum facere minimè fuerit opus: quando nemo est tam impudenti ore, qui in Scotia aggregatam sine ordine apostatarum, monachorum, Sardonum, Tonsorum, Sartorum (quibus ordinibus fere ministrorum numerus constat) multitudinem, Ecclesiæ vllam faciem referre, ne dum ipsam Ecclesiam vniuersalem aut Apostolicam esse, vel verbo dicere possit. Sed quoniam nouos confingunt sensus, per quos de his etiam proprietatibus quemadmodum de aliis, litem mouere posse videantur: operæpretium profectò fuerit, quàm isti illorum sensus longè à veris definitionibus prius confirmatis absint, paucis excutere. MIS. Rectè sanè istuc consulis, quod toti disputationi non minorem lucem, quàm aduersariis ruborem, confusionémque animorum sit allaturum. Sed istos sensus dic, quæso, quínam sint? EPIS.. Quin per vniuersalitatem ea Ecclesiæ

Ministros non Ecclesiæ veræ faciẽ, sed plebu facem referre.

latitudo intelligatur, quæ ab ortu ad occasum, à Septentrione ad meridiem protendatur, propter aperta scripturarum testimonia, negare se non posse intelligentes, pro vendicãda sibi vniuersalitatis proprietate præclarum hunc sensum effingunt: vt in omnibus nationibus Turcico quãuis imperio aut idololatriæ crassissimę subiectis, quidam dei prouidẽtia conseruati intelligantur, qui Deum verum legitimo cultu in animis prosequẽtes, ab eo vicissim cognoscantur. In quo suo commento cum multis modis hallucinentur, tum in eo primum & facillime eorum inscitia deprehendi potest, quòd Ecclesiæ vniuersalitatem sibi seruare volentes, eam prorsus omnem è medio tollunt. Nullam enim extra se Ecclesiam nisi dei oculis visibilem ponunt. Quod quando dicunt aliud nihil sanè dicunt, quam Ecclesiam vniuersalem, quæ visibilis non sit, ne Ecclesiam quidem esse. Quippe si visibilis non sit, & in plures particulares Ecclesias, quarum singularum singulæ sedes constitutæ cernantur, non sit diuisa: ea profectò neque coire, nec de doctrina & moribus iudiciũ ferre, nec in conspectu omnium tanquam lucerna ardens lucere, neque demum à principibus huius mundi in ipsius obsequium spiritus virtute adductis, munera capere poterit. Quæ omnia quando in definitione Ecclesiæ vniuersalis necessariò comprehenduntur, perspicuum sanè cuiuis esse potest, non tantum vniuersalitatem, sed & ipsam Ecclesiam, quæ sine vniuersalitate stare nõ potest, à tam absurdi commenti

Defensio seipsam impugnãs

authoribus è medio penitus tolli: vt nullo alio argumento testimoniόve ad eos confutandos opus sit, quàm quod ipsum sua absurditate suppeditat. Si enim nullã Ecclesiam habeat Christus visibilem sanguine suo redemptam, præter eam quæ in Scotia est: sique reliquas mundi partes Hispaniam, Galliam, Italiã, Germaniam, Daniam, Sueuiam habet Sathanas, præter dispersos aliquot solius dei oculo conspicuos, vt alicubi Augustinus, & ante eum Hieronymus contra Luciferianos, sic nos dicere possumus: Christum videri frustra mortuum, & crucis eius trophæa in nimis angustum terrarum angulum collata. Sed hîc credo copias suas ostentabunt, signa proferent, & Ecclesias cum quibus consensum in religione habent enumerãdo, quàm latos terrarũ tractus, quàm amplas prouincias, quot quámque populosas vrbes occupent, in quantam denique longitudinem & latitudinem diffundantur instructo longo catalogo percensebunt. Principio in proxima vicinia Anglorum religionem, & suam vnam esse affirmabunt. At Angli negant, neque doctrinæ capita, vt pro concione apud Scotos euulgantur, neque sacramenta cum iisdem cõsimili administrata modo admittẽtes. Flandriã inde adnumerabũt. At in ea regione præter rebelles & incertis vagantes sedibus latrones aliquot, omnes Catholicam religionem profitentur & tenent: heluetios deinde Geneuenses & latissimę illius Germaniæ populos innumerabiles secum in religione consentientes esse dicent. At quo-

Ministros in Scotia, cum exteris nulla cõmunione iũgi

modo iſtos tot tantóſque populos in vnitatis & conſenſus circa religionem teſtimonium aduocare poſſunt? quando ij quos aduocant, infeſto magis odio inter ſe, quàm contra Catholicos de religione decertant. Hinc videas Zuinglianos in Lutheranos, & in vtróſque Caluiniſtas acerrimè inſurgentes: vt alias ſexcentas ſectas omittam, quarum vnaquæque in alteram armata exiſtit: & quod iure miretur quiſpiam magis, ex vna eademque ſecta, ſæpe prodeunt, qui ſe inuicem nunc hæreſeos nunc tyrannidis accuſantes, nouis ſe denuò ſectis capita & auctores exhibent. Sic primi hæreſeos architecti Caroloſtadius & Lutherus odia ad finē vſque inter ſe exercuerũt. Sic Melancthon & Mathias Flaccus ſe mutuò lacerantes, vtérque alterũ grauiorem ipſo Papa tyrãnidem in Eccleſiá exercere dictitabat. Sic Saxonici miniſtri in Helueticos & Geneuenſes: & hi viciſſim in illos ſcriptis continuis inuehuntur: vt neq; ſcriptorum aduerſorum intermiſſio, neque odiorum aſperrimorum remiſſio vlla inueniri poſſit. O præclarum præſidium conſenſúſque patrocinium, potens & magnum, dignum planè quod ab his talibus clientibus in auxilium vocetur. Sed videamus ſanè ecquid aliud ſit, quo vel catholici, vel Apoſtolici nomen ad ſe pertrahere conantur. Vnum namque adhuc ſupereſſe memini, & illud quidem frequēter & multũ ab ipſis vſurpatum argumentum, quo ſuam Eccleſiam pro Catholica & Apoſtolica efferũt. Iſtud autē eſt, quod in ea nihil tradatur doceatúrve, niſi ipſa

Apoſtolorum doctrina pura(vt aiunt) & puta. Itaque reiecta ſucceſſione ordinaria, veluti minime neceſſaria, ad doctrinæ iudiciū prouocāt. Haud ſanè aliter quàm ſepia quo piſcatoris manum effugiat, emiſſo ex ſe atramento aquam perturbat. Ita nimirum boni illi viri captos ſe fore intelligentes, ſi ad ſucceſſionē ordinariam, vel Catholici vel Apoſtolici nomē exigatur, ad ſcripturas confugiunt: vt ſub deprauato earum ſenſu latitantes, perſequētis apertam vim, quam propulſare nō poſſunt, eludere ſaltē conentur. Sed næ illi in duobus craſſiſſimè hallucinantur & errāt. In vno quidem quod relicta vtriuſque vocis definitione, à viris Apoſtolicis petita & aſtructa, poſt inaniſſimum ipſorum figmentum nos ſe pertracturos putant. In altero autē quod reſuſcitatos ex priſcorū hęreticorum cineribus errores pro Apoſtolica doctrina nobis obtrudentes, quicquam pręclara ad ſpeciem Apoſtolici nominis venditatione ſe profecturos ſperant. Tempus ſanè fuit, quādo apud ſimpliciores vterque hic prætextus, ad deceptionē valere plus poterat. Nam & quid illud ſit quod verbū dei impudenter contra doctores omnes, contra Apoſtolicos viros, contra ipſos Apoſtolos dicunt: & quam ob cauſam ad illud tam ſtudioſe confugiunt, neminē amplius latere poteſt. Verbum enim dicunt id modo eſſe, quod typis commiſſum in veteri & nouo teſtamēto nunc extat: prout eum ſenſum qui ipſis maximè adlubeſcit, quamuis contra totius Eccleſiæ conſenſum, recipere poſſit. Ad quam abſurdā ver-

Fruſtrà ad verbū à ſe adulteratum prouocāre miniſtros

cularibus Ecclesiis latissimè per orbē terrarum dispersis ostendant. Aut sanè vt ab ipsa re longissimè sunt, sic cum nomine vel Catholici, vel Apostolici commune sibi nihil esse fateantur. Ex duobus enim alterum subire eos est necesse: si quæ probata prius sunt nobis & illis simul maneant, vti vel Catholicæ & Apostolicæ nomina sibi assumentes, alios aliis succedentes ordine vsque ad Apostolos continuato ostendāt: vel si hoc non possunt, certè inanibus titulis, quibus res nulla respōdeat nudari se & exui patiantur. Sin neutrum volunt, an non palam vel cuiuis esse potest, vi rationis eos constrictos ad id proteruiæ descendere, vt in veritatem agnitam recalcitrare magis, quam eandem ingenuè fateri velint. MIS. Perquam sanè manifestum. Sed quid illis facias qui conclusionis tuæ euidentia minimè perspecta, iustam pro se defensionem habere ministros credunt, quamdiu, de doctrina iudicium fieri petentes, eam omnem ad Apostolorū scripta referunt. EPIS. Quid aliud istis viris faciendum esse iudicarem, quam vt vicissim ab illis petatur, si ab errore & damnanda hæresi recipere se aliquando, aut etiam, quādo in veritate sunt, eandem diu seruare volunt: vti peruersa ista explorandæ tenendæque veritatis regula omniúmque fallacissima, abstinere perpetuò pariter velint: ne scripturis ex priuato cuiuspiam sensu expositis, quàm iisdem secundùm vniformem totius Ecclesiæ consensum in omni loco & tempore exacto illustratis, maiorem fidem habēdam esse existiment. Præ-

sertim quando solam hanc paucorum contra Ecclesiæ consensum insurgentium superbiam, erroribus omnibus qui vnquam succreuerunt, radicem, & per quam in Ecclesiam ingressi ad eam turbandam inualuerunt, vnicam ianuam extitisse constat. Cui sanè petitioni quando ea & æquior est, & cùm illorum salute & Ecclesiæ pace magis coniuncta, consentaneum profectò fuerit, vt priores illi assentiantur. Quò autem vtriusque postulati tum huius æquitatem, tum alterius iniquitatem meliùs deprehendere possint, nihil prius aut potius faciendum esse arbitror: quàm vt doctrinæ illius, quam tãtopere iactitant Protestãtes capita, ad primos suos auctores reuocentur. Sic enim ab auctoribus ad dogmata, quemadmodum vicissim à dogmatibus ad auctores reciproco ducto argumento, quàm quæ nunc passim doctrina pro Catholica & Apostolica obrruditur, vere Apostolica sit, facillimè certissiméque intelligetur: quando, vt ait alicubi Hieronymus, ad primos fontes hæreses reuocasse, easdem abundè est confutasse. Hanc igitur apud eos initurus gratiam singulorum capitum, quæ cõtra Ecclesiam nunc defenduntur, primos auctores notabo: de quibus per me quidem licebit vt vel ipsi iudicent, vel magistros suos cõsulant, si qua ratione primos illos auctores Apostolicos viros, ac non potius ab Ecclesia omnes ob id tantum quod ista talia dogmata inuexerint damnatos, commonstrare possint. Et liberum quidem negatũ arbitrium, quod inducta necessitate multis clamoribus,

Protestãtium primi auctores qui, et qualis successio.

nunc etiam negatur, Simonem Magum auctorem habuit (vt est auctor Clemens Petri successor) quem Marcion & Manichæus in eodem doctrinæ capite sequuti, à Tertulliano sunt cōfutati. Hos rursus Habailardus à Bernardo multis correptus & Huiclephus in Constantiensi & Basiliensi Cōcilio damnati exceperunt. Sanctorum inuocatio & reliquiæ ab Eusthatio cōtemptim exceptæ, quem eo nomine Cōcilium Gangrēse damnauit. Hūc excepit in eodem errore Vigilantius ab Hieronymo seuerè & acriter reprehensus. Bona opera impugnari cœpta ab impuro cane Iouiniano, quem Hieronymus itidem duobus in eum descriptis libris longissimè ab omni Catholicæ, aut Apostolicæ Ecclesiæ communione esse, multis commonstrauit. Fidem solam ad salutem sufficere docuerunt, non Apostoli, sed eorum tempore quidam ex Pauli verbis malè intellectis errorem istum colligentes: contra quos & suam scripsisse studio epistolā Iacobum Augustinus vult. Post quos in communi errore sequutus est Eunomius, & hic ab eodem Augustino in tractatu de fide & operibus redargutus. Eandem resuscitare doctrinam conatus est Almericus quidam dicens: Existentibus in charitate, id est, fidem viuam habentibus peccatum nullum imputari, vt est author Platina in vita Innocentij tertij. Contra delectum ciborum & ieiunia, & dierum differentiā pugnabant Aerius & Iouinianus, vt est auctor Epiphanius & Hieronymus. Missam denique blasphemo ore Petrobussiani proscin-

dere primi fere omnium sunt ausi, & hi à Bernardo & Petro abbate Cluniacensi erroris conuicti. Neque alia ratio cæterorum est quæcunque demum contra Ecclesiæ cõsensum nostri protestantes hoc tempore defendunt. Quapropter quando communem cum superioribus istorum dogmatum auctoribus causam fouēt, aut illos priores, Catholicos & Apostolicos fuisse, & in Ecclesia sine labe hæreseos vixisse ostendant: aut si id non possunt, de se discipulis & sectatoribus idem haberi iudicium patiãtur, quod de præceptoribus & auctoribus prius Ecclesia omnis omni anteacto tempore habuit. MIS. Tu quidem consentaneè istuc infers, nisi fortè tertium hoc supersit, vt non se cum supra nominatis hæreticis in præmissis doctrinæ capitibus cõsentire ostendant. EPIS. Istud sanè, vt dicis, tertiũ est, quod vt ipsis solum salutiferum, sic Ecclesiæ pacem allaturum esset: si relictis discordiæ consiliis ea doctrinæ capita, quæ cum hæreticis contra Ecclesiam pertinaciter hucúsque defenderunt, ad se reuertentes damnare vellent, atque in posterum modestè atque humiliter de se sentiẽtes, cum Ecclesia contra hæreticos incedere dehinc pergerẽt. Verùm istam pacis communis ac suæ ipsorum salutis viam eorum cæcitas non videt, nec visam ingredi vesana superbia patitur, tãtúmque abest, vt in doctrinę capitibus, quæ natiua Ecclesię signa iure vocari possunt, à damnatis hæreticis semet seiungant, vt tum in his tum in aliis omnibus externis ritibus, cum quibusuis quantum-

In homil. in canticũ cantic.

Protestãtes à Catholica Ecclesiã omnibus dissentire.

uis damnnatis hæreticis contra Ecclesiam sanctam consentire præclarum ducant. Id quod facile quiuis intelligat ex iusta eorum, quæ ab ipsis nuncin contemptum Ecclesiæ fiunt, contra ea quæ in Ecclesia obseruanda præscribuntur antithesi. Quam quidem antithesim quiuis seriem caracteris ab Epiphanio prius descripti sequutus, optimè (meo quidē iudicio) sic fecerit. Virginitatem sacram fundamenti loco sancta semper coluit Ecclesia. Eandem illi tum viri tum mulieres non aliter ac Iudei olim abominantur: illud domini quasi præceptum ad omnes pertinens in ore frequenter habentes: Crescite & multiplicamini. Ad virginitatem Ecclesia sancta solitariam vitam adiecerat. At illi eandem execrantur: simul & eos omnes qui ad eam se componunt, veluti μισαγθρώπους officiíque, & charitatis patriæ & proximis debitæ violatores damnant. Sancta Ecclesia continentiam etiam matrimonij tempore, post dissolutum verò per vnius partis mortem matrimonium, viduitatē in honore habuit. Hi quoad vires Veneri seruituræ in corpore durare possunt, vtramque omni studio aspernantur & refugiunt. Sancta Ecclesia sacerdotium pro ministerio obeundo ex virginibus tantū, aut certe ex continētibus desumpsit. Apud illos qui ministerio fungatur nemo ferè aptus iudicatur, nisi qui accepta subinde post vnā altera vxore, exercitatissimum se militem in castris Veneris præbuerit: totúmque se in fœmineo complexu obtriuerit. In Ecclesia sancta diuersi ordines

præter & ſupra Laicos cernebãtur: Epiſcopi nimirũ,preſbyteri, diaconi, ſubdiaconi, lectores, Exorciſtę,& ianitores. At apud illos ordinũ diſtinctio nulla, quemadmodũ nec vlla clericorũ à plebeis ſeparatio exiſtit: quin potius cùm ex omni populo, tum ex infima eiuſdem fęce viliſſimus quiſque ſacramentorum adminiſtrationi præficitur. In ſancta Eccleſia feria 4. & pro ſabbato ieiunare ſolemne fuit: die verò dominico ieiuniũ exercere anathema ſemper credebatur. Hi cõtra die dominico ieiunia publica indicere, pro ſabbato verò epulari, atq; conuiuando carnib⁹ veſci glorioſum ducũt. Statas ferias veluti diem Natalis, Epiphaniorũ, Paſchatis, & Pẽtecoſtes piè & religioſè obſeruat Eccleſia. Eaſdem illi in viliſſimo quoq; opificio profanas habere non dubitant. Quadrageſimã Eccleſia ſancta & ſiccorum vſum ſtudioſe obſeruauit. Et hunc, & illam quemadmodum omnem aliam ſalutarem corporis caſtigationem, proteſtantes tanquam totidẽ ventri ſeruientes beluæ repudiant. Tremendum communionis myſterium non niſi ſacramẽtali præhabita peccatorũ cõfeſſione, ſancta Eccleſia adminiſtrat. Hi autem impuris manibus ſacra profanantes obuiis quibúſque non tantum ſine peccatorum confeſſione accedentibus, ſed vino inſuper multo madẽtibus panẽ benedictum offerunt. Sancta Eccleſia matutinos & veſpertinos hymnos, vnà cum orationibus ad Deum fuſis decãtat. In illorum conuẽtu orationibus & hymnis per tempora diſtributis, adeo nullus locus relinquitur: vt in Eccleſia

quoties cōuenitur, toties orádi partes, quasi superstitiosæ, & quæ à singulis peragantur minus decētes, vni concionatori delegātur: qui & ipse non tā spiritualia bona inter orādum, quàm tēporalia quæque sibi ac suis petere, simulq; hostibus aduersa omnia imprecari solet. Ecclesia sancta diuersis ordinibus religiosorum consilia domini modo quanquā dispari perimplere conantium, distincta variè & ornata semper fuit: adeò vt in ea alios vni, alios verò alteri seueritatis disciplinę astrictos cernere fuerit: qui tamen oēs contra mundi pompam, & propriam suam voluntatem fortissimè dimicarint. Apud illos si rem Ecclesiasticam spectes, rerum omnium & ordinū cōfusio perturbatissima deprehēditur: simul quæ ad Euangelij perfectionē pertineant consilij opera prorsus abrogātur. In sāncta Ecclesia prisci Patres, quò carnē suā in spiritus obsequiū facilius trahere possent, nūc humi iacentes, nunc sacco se perpetuò induētes, nunc lōgis vigiliis sese assuefacientes corpora sua macerabāt. At hi quibus carnē accendāt, irritēntq;, nouas artes quotidie excogitāt. In sancta Ecclesia hospitalitas, eleemosyna, publicorū operū, veluti templorū, pontiū, cœnobiorū extructio reparatióq; tanquā fidei fructus viguerūt. Apud illos nō tātū nihil his talib⁹ operib⁹ impēditur, sed destructa passim publica oīa monumēta in priuatorū vsus conuertūtur. Magiā & veneficiū abominata sancta Ecclesia seuerissime semper vindicauit. At apud illos nullas alias artes magis familiares, studiosiúsque cultas atque in maiori

Exemplo est Dauid Ferguson ad macerādas carnes Bubulas pipere profa- le vtens.

pretio habitas agnoſcũt oẽs qui ipſorũ facta & mores nouerũt. Sãcta Eccleſia ad Eccleſiaſticos ordines, negotiatores multò autẽ minus fœneratores admittere nõ vult. In illorũ miniſtris nemo eſt, qui non negotiandi ſimul & fœnerandi artibus apertiſſimè inuigilet. Sancta Eccleſia non ab iniuſtis & iniquè viuentibus oblationes accipit. Hi crimĩnũ mulctas non tantum ſponte oblatas capiunt: ſed ab inuitis etiam extorquẽt. In ſancta denique Eccleſia pleríque ſua vẽdũt, & dant pauperibus. Hi contra, omnes quiſque quo ſe ditet, pauperes ſpoliant. Poſtremò vt infra cancellos caracteris ab Epiphanio deſcripti memet contineã, ſic in ſacramẽtorũ ritu adminiſtrãdorum, ſic in veſtimentorũ vſu, ſic in verborum prolatione & actionibus ſingulis cõtra pręſcriptam & obſeruatam ab Eccleſia formam hi ſe cõponunt: vt facile quiuis intelligat, omni alia poſtpoſita cura, eos in hoc ſolũ inuigilaſſe ſtudium, quo cum hæreticis quidem omnis generis, omníſque temporis, ea lege conuenirẽt: vt cõtra Eccleſiã veram dicere, ſentire, ac facere omnia viderentur. Probe nimirũ memores pręclaræ illius ſentẽtiæ quam coryphæus ipſorum Lutherus de calicis vſu Sathanico ore prius protulit: nulla ſe alia cauſa calicis vſum laicis communẽ facere, niſi quòd Eccleſia Romana eundem auferat: quòd ſi autẽ ipſa eius vſum concederet, tum ſe ablaturum. Et ſanè ad eandem ſe componẽtes regulã, palámq; & pro cõcione profitentes noſtros hoĩnes audias, multa eſſe, quę ĩ Eccleſiaſticis ceremoniis lubẽter approbarẽt,

tenendáque adhuc dicerent, nisi quod cum catholicis consentire in vllo, nefas sibi esse ducát. Quæ cum ita sint, & bellum ex professo Catholicis solis indicant, cum hæreticis aliis quibusuis facillime consentientes: reliquum sane nobis fuerit, vt patrum nostrorum ægregiis, & vere memorandis contra hæreticos sui temporis facinoribus animati, ad finem vsque certaminis fortiter perduremus. Nam (vt ait quodam in loco grauissime Leo, prorupit in apertum perfidia, & in nefandissimam hæresim vnius imperitissimi asseclę perditè transierunt. Quapropter quasi tempus probationis nostræ iam adsit, contra impetus aduersantium munitionibus cœlestibus fretos præparare, neque in re noua trepidare, aut pugnam hostium metu detrectare, omnium vero minimè de victoria reportanda desperare nos tam diu exercitatos, támque multis maiorum exemplis confirmatos conuenit. Has enim tentationes quæ dimoueant arguméta plurima potentissimáq;, ad ea quæ supra diximus historiæ insuper Ecclesiasticæ vsus vel mediocris suppeditabit. Inde náque repetitis ex temporum serie Ecclesiæ laboribus, quiuis facile intelligat nõ semel, atq; iterum, sed perpetuo Ecclesiam cum hæreticis conflixisse: sic tamen vt patientia supra hostium pertinaciam eluctáte, victrix semper sub finem euaserit. Quod si quæ olim, eadem nunc in Ecclesia causa sustinetur: si qui patribus nostris, idem nobis belli dux existit: si communia arma eadémque signa agnoscimus: si aduersarios de-

Exhortatio ad Symmystas.

mum non tantum per omnia consimiles, sed imbelles magis & minus exercitatos habemus, Quid est quod de victoria reportanda etiã breui temporis momento dubitemus? Dux nobis Dei spiritus est, qui Ecclesiam cui donatus creditur, nõ magis quam ipsum se deserere potest. Arma ipsius dona spiritualia, quæ in totam Ecclesiam & singula eiusdem membra vera effundere nõ cessat: quibus lachrymæ nostræ, & preces non sine fructu magno subseruiunt. Aduersarij denique nõ eruditione clari, nõ vitæ puritate conspicui, nõ vlla potestate ordinationéue legitima fulti, nunc (vt olim) nobis opponuntur: sed ex fæce populi tam impudentes quam indocti rabulę, impuri canes, promiscui aliquot conuenæ, & vilissimarum artium serui prædæ futuri loco obiiciuntur. Cum quibus certare vt gloriosum minus est (ad hũc modum Deo propter peccata nostra nos puniente) sic animos dare nobis quantumuis infirmis haud mediocriter deberet. Nos auté qualescũque demum sumus, certè domini sumus, quos ille pro se legatione fungi in terris voluit: certę populi pastores legitima ordinatione cõstituti: certè spiritualem Dei gratiam legitima sacramentorum administratione dispensandam nobis concreditam habemus: &(quod omnis creaturæ præstantiam, ne dum nostram infirmitatem infinitis gradibus superat) immẽsa dei erga nos suos seruos dignatione, supra Angelos officij iure constituti, corporis sui oblatione, & pro populo ad deum patrem intercessione, communis

curæ & solicitudinis partem capere à Christo ipso iubemur. Quæ cùm ita sint ecquid de fœlici certaminis exitu, & victoria læta dubitare possumus? Actum profecto de aduersariis, & finitum certamen iamdiu fuisset: si nos ad officium reuersi, postpositis aliis studiis quæ has nobis turbas olim dederunt, deum toto corde sequeremur. Nostram ille Deus bonus & eorũ qui sub suis signis militant, hoc tali exercitio salutem operatur. Ad eum finẽ vt nos aliquãdo exercitatos satis & sibi penitus subiectos reddat, pugnam extrahit. Neq; sanè aliter quam in veteri populo sub Cananæorum & aliorum circũiacentium populorũ metu, Israëlem castigatum longius ad se tandem redire docuit: ita & nunc ad nostram ignominiam, aduersariorũ & eorum quidem impotẽtissimorum vires durare patitur: vt hoc veluti flagello excitatos nos ad se maiori studio sequẽdum prouocet. Quod vbi consequutus fuerit, nulla amplius interposita mora profligatis aduersariis pristinam Ecclesiæ pacem restituet. Quocirca cùm vnicam resipiscentiæ nostræ tarditatem impedimento esse constet, quo minus re tota confecta discussas hæreses, & veritatem Euangelij in Ecclesia Scoticana confirmatam denuò videamus: pro viribus vnum hoc impedimentum amoliri contendamus: sancta sanctè tractare discamus: profligato peccato (quod omnis huius mali haud dubiè causa, & fons extitit) membra nostra probe castigata in seruitutem domino addicamus: nósque ipsos, & nostra omnia eidẽ

consecrantes, officium commissum sedulò & diligenter obire satagamus. Tum enim primum portæ illæ inferorum, valida domini manu percussæ effringentur. Tunc vectes illi ferrei dissilient & disrumpentur. Tunc denique aduersariorum potestas omnis, non aliter ac si nũquam fuisset, in fumum resoluta euanescet. Nõ populi robur, non procerum potentia, non ministrorum perfidia, non vllorum aduersariorum pertinacia obstabit: quo minus in die visitationis suæ dominus cuncta peruadens, Ecclesiam suam apud Scotos ad tempus pro delictis nostris dissipatam recolligat, recollectámque pristino suo nitori restituat. O diem nobis quidẽ ter desideratũ, sed hostibus veritatis, plusquam dici, aut etiam cogitari potest, tremendum! Cuius vnius expectatione, vt nobis quæuis pericula subire, aut tormenta quantumuis grauia perferre, leue adeóque suaue, & iucundum fuerit, ita eiusdem metu & horrore illos, vel in rebus suis maximè secundis concidere & exanimari (quoties in mẽtem eius cõsideratio venit) penitus est necesse. Hunc diem vtinam vel nũc tandem, præclara quondam, nunc vero misere dementata Scotia ob oculos sibi statuat: quò accensam domini iram iámque subito omnia vastaturam, vel modico temporis momento anteuertere posset. Vtinã & suam ipsius nuditatem aspicere, & ignominiam multam, cui prę aliis omnibus gentibus nunc subiacet recto iudicio cõsiderare queat. Quæ pastorem primum ipsa suum percussit: tum principem exturbauit:

poſtremo ſacra omnia prophanauit: iura immutauit: omnem denique dei cultum ac inter homines fidem è medio ſuſtulit. Scilicet tu tibi Scotia his gradibus viam ad fœlicitatẽ, ad opes, ad gloriam paraſti. Ac non potius ridendam te omnibus gentibus expoſuiſti, in ſummam inopiam, atque miſeriam conieciſti, eóque tandem deſperationis rerum omnium ter te ærumnoſam adegiſti, vt neque viribus ipſa tuis ſtare, nec ab aliis populis (cum quibus dum res tibi pręclarè ſteterant, cõfœderata vixiſti) auxilium in rebus aduerſis expetere poſſis. Sic nimirum Deus voluit vt peruerſum ſemel ſequuta conſilium, eorum quos miſera & dementata tibi delegiſti duces, omni & interno robore temet ſpoliares, & externo præſidio per impiã à Deo alienationẽ, & proinde à piis omnibus factam ſeparationem, indignam te redderes. Neque tamen hoc dementiæ tuæ caput ſupremum eſſe pateris, ſed grauẽ domini manum ſatis iamdiu quamuis experta, grauiorem etiam (ni ſubito reſipiſcas) impendentem videns, non tantum cauſam à te profectam eſſe non agnoſcis: ſed in eiuſdem defenſione vltro perſiſtis: ſed eandem propagare atque iniuriam iniuria cumulare omni ſtudio adniteris. At enim tuo te id damno facere tandem aliquando comperies, quando tardidatem pœnæ ſupplicij grauitate penſaturus inſtabit dominus. Neque enim ira eius accenſa ſemel in te, reſtinguetur denuo, niſi ad te reuerſa pro ſcelerum admiſſorum expiatione, tam euidentia reſipiſcentiæ argumenta exhi-

Apoſtrophe ad Scotiam.

bueris, atque contumaciæ & rebellionis testimonia prius ędidisti. Nota illa est infœlicis Oedipi apud poetas tragicos ærumna, qui flagitio admisso, & se, & populum vltionibus horrẽdis implicuit: quæ prius sedari non potuerunt, quàm quod in capite designatum fuerat malum, eiusdem authore extra terræ fines profligato expiaretur. Nota est & in sacris literis A-

Iudicũ 7. bimelechi illius insana ambitio, & Sichemitarum illum talem spurium ad populi regimen cooptantiũ stulta temeritas. Quos sibi inuicem flagelli loco seruire vtrinq; expressis meritis pœnis, diuina effecerat prouidẽtia. Dũ & populus Sichemitarum ab eodẽ, illo à quo fœlicitatem summam consequuturum se sperabat, bonis & vita spoliatus fuit. Et ille vicissim infirmissimæ mulieris manui turpiter succumbens, iniustorũ laborum pręmiũ perfidia & ambitione dignis-

Regũ. 2. simum reportauit. Nota denique est tumultuaria illa populi Israëlitici à Roboam deficientis, & Ieroboã sine mandato sibi præficientis conspiratio: quæ præterquam seueris castigationibus in rege, in populo, atque eorum posteris vindicata fuit: insuper vltimam illam, & omnium grauissimã Dei vltionem prouocauit: vt non tantum populus & magistratus, sed ipsum etiam sacerdotium horrenda cæcitate, & errorum tenebris percuteretur. Horret sane animus tremenda ista dei iudicia secum reputans: quoties ad ea quæ te Scotia manent cogitationem reflectit. Quæ quãta quámq; grauia futura sint, cùm ex aliis superioribus æstimare liceat, tũ có-

parationem vbi minimè opus est instituere nō libet. Tantum pro ea cura quam erga omnium meorum gentilium salutem, & tuam fœlicitatē gero, iterū atque iterū te oro, & ex officio meo in visceribus Iesu Christi moneo, vt vndenā excidisti & quò adducta es: quantum quamque præclarum omnium populorum, & totius Ecclesiæ consensum reliquisti, & quorū nūc qualiúmque societate gaudes: quibus parere quōdam solita, in quàm indignam seruitutem redacta es: postremò qualem bonorum omnium, tū hîc, tum in futuro sæculo spem expectationémque, cum quali quámque tremēdo grauissimorum vtrobique suppliciorum metu commutaueris, apud te considerare velis. Quo hinc tandē tuam miseriam nimiū ærumnosam edocta, sero saltē sapere, atq; iudiciū de te vltimum paululū anteuertere possis. Id quidē est quod tui studio dies atque noctes à domino precibus contēdo. Idē pro quo vitā lubēs erogare, tantúmque nō anathema fieri cupio. Idē denique ad quod curam meam omnem, & cogitationem in domino: cōfero certus, si quod volo successerit, id tū in patriæ dulcissimæ salutem, tum in cōmunem Ecclesiæ totius non modo militantis, sed etiam triumphantis lætitiam redundaturum: sin minus (quod auertat Deus) meum tamen apud dominum iustum iudicem ac retributorē, meritum, per immēsam ipsius misericordiā nihilo magis diminutum iri. MIS. Tu quidem grauiter, & vt tui ordinis hominem decet, istam tuam instruis admonitionem. Quam ego non

lingua proloqui poteſt. Sed enim quando iſtos tales rebelles futuros conſtat, qui ad ſanitatem nulla ratione reduci ſe patientur: quanquam omnibus ſuccurrere Chriſtiana charitas cupiat, eos tamẽ qui ad finem vſque ſic pertinaces permãſuri ſunt, puniat, perdat, & conſumat Deus: vt Eccleſiæ interim ſuæ miſereatur: quam ſic protegat, purget, & propaget, vt ſectionis ſcandalum ab impiis inductum reparet & eluat, hypocritarum fraudulentas artes detegat, inter pios denique, & impios iuſtitiæ ſimul, ſimul & miſericordiæ ſuæ memor, diſcrimen ſic clarum ſtatuat, vt filij ſui regnum confuſionis, proditionis, diuiſioníſque macula liberatum, apud gentes diuini cultus neſcias bene audire, & apud ſanctos in terris, & angelos in cœlis vere glorioſum apparere poſſit. EPIS. Nec tu quidem male ſecũdas iſtas partes meo quidem iudicio agis, tuo maxime exemplo, & pios ad patientiam, & pertinaces ad reſipiſcẽtiam hortatus. Vt non poſſim non vno hoc præſertim nomine vehemẽter te laudare, aut de tua poti⁹ tam inſigni mutatione gratias deo agere: quòd ex quo ad Eccleſiæ gremium redieris, nihil prius aut potius habeas, quàm vt quanto tibi & aliis damno prius extiteras, tantum adiumenti omnibus in errore adhuc hærentibus, hoc tuo ſalutari exemplo ad omnes euulgato adferre tandem aliquando poſſis. Neque dubito ſi in eo tali conatu à tam pia voluntate profecto perſeueraueris, quin & delicti prioris veniam, & maioris in futurum gratiæ augmentum, per

immensam domini bonitatem consequêris. Vnum modò fuit sub finem sermonis tui caput, quod à quodam efferuescentis ingenij calore, aut incõsiderato forsitan zelo profectum, si nõ censoria nota castigandum, certe admonitione leni temperandum, ac veluti candide interpretandum mihi esse videtur. Id autem est in quo immota atque inflexibili aduersariorum pertinacia prouocatus, iisdem non modo bene non precari, sed quibusdam etiam imprecari ausus es. Quod certa licet conditione limitatum, quãquam iure & merito abs te factum videri potest: consulo tamen vt Ecclesiæ, pro perditissimis etiam hostibus perpetuo orantis, morem obseruandum potius existimes: quàm in quo hæreticam prauitatem, cum bonis omnibus & piis, maxime damnas: tu eiusdem vel per negligentiam imitator, vel per vllum peruersum studium affectator deprehẽdaris. Consentaneum enim cum primis est, vt preces & vota filiorũ, non hostium malitiam, sed piæ matris Ecclesiæ clementiam sapiant: & cum huius tum illorum desideria, ad spiritum exigantur capitis Christi. Qui tẽpore passionis amarissimæ pro se persequentibus, solemnẽ hãc orationem ad patrem fundere non dubitauit: Pater ignosce iis, quia nesciunt quid faciũt. Ad eius igitur exemplum, pro hostibus iudicio tuo deploratissimis, non tantum studio indefesso ora: sed quasi spes contra spem perpetuo tibi fouenda foret, occasionem nullam prætermitte: qua siue docẽdo, siue hortando, siue increpando acrius, & veluti cõ-

tendendo ab errore eos in rectam viam reuocare possis. Quoniam autem quod initio postulasti perfectum habes: ac ita perfectum, vt de iure & clauibus Ecclesiæ, neque pij & fideles dubitare, neque infideles & impij quæstionem amplius mouere possint: hoc quem inter nos habuimus, ad illos etiam trāsmisso sermone, ab iisdem meo nomine quantum potes contēde: vt tantisper ab Ecclesiæ titulo per ludibrium vendicādo abstinere velint, dum vel argumenta & testimonia allata confutauerint, vel contra eadem si non certiora, saltem probabilem aliquam speciem habentia totidem opposuerint. Tu interim Ecclesiæ memor fœlicem eiusdem propagationem, conseruationem, & purgationem perpetuam à Deo patre per Iesum Christum filium assiduis tuis precibus contende: sic mecum subinde communem vtriusque spiritum sanctum interpellans:

Exurgat Deus, & dissipabuntur inimici.

Non miretur, multo autem minus offendatur candidus lector, quòd in tam paucis folius, tam multa errata castigatoris manum effugerint. Nam dum hic alio quodam opere distineretur, & interstinctionum puncta à Typographis ipsis præstari facile posse putaret: factum est non tam ipsius culpa quàm fiducia nimia & securitate, vt non pauca maximè in primo folio neglecta, tum in dictionum corpore, tum in earundem interstinctione manerent. Ex quibus quæ legentem remorari, aut offendere possunt fere hæc sunt insigniora in hūc modum restituenda. In primo folio a.

Episcopus Orthodoxus sine commate in b fallor, sine parenthesi. Et 5. folio a, didici & freti, à verbi & 16. a vniuersalitas, & b cingens et in 26. a abolitis et versu 27. b. MIS. *Cōsentanea. Et 32. a vultus 33. Illustrandā.*

Fol. 40. b. lin. 22. ab ipsis. fol. 44. a. lin. 18. semper. fol. 44. b. lin. 7. occasionem. f. 47. plebei & iterum plebeos. fol. 48. nimirum. b. dicuntur. in eodem dissidentes. fol. a. 57. peragendos. fol. b. 58. imaginem. fol. b. 60. monendum. fol. a. 62. insectentur. f. 68. a. 8. seruantes. f. 69. a. 31. mendacia. f. 75. a. damnatis. f. 79. b. & ille. f. 80. a. in domino confero.

